





1779,2

1457

5

DISSSERTATIONEM IN AVGVRALEM  
DE  
**EXCEPTIONE**  
**LITERARVM RESPIRATIONIS**  
**ET VEL DEBITORIS FIDEIVSSORIBVS**  
**PROFICVA**

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS

AVCTORITATE

PRAESIDIO

**D. ALBERTI PHILIPPI FRICKII**

SEREN. ET CELSIS. BRUNOVIC. AC LVNES. DVCI

A CONSILIIS AVLAE

IVRECONS. ET ANTECESSORIS

PRO

CAPESSENDIS IN VTROQUE IVRE SVMMIS  
HONORIBVS

AD D. XVI DECEMBR. MDCCCLXXIX.

MORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS

PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

SVBMITTIT

AVCTOR

**CAROLVS GEORGIVS REINHARD**

IVDICIORVM HELMSTADIENSIVM

ADVOCATVS.

---

HELMSTADII

TYPIS VIDVÆ E. P. D. SCHNORRII ACAD. TYPogr.



Dis. Sur. Rom.  
1434 - 1464.  
Reinhard - Preyher.

1459 - 1487.

L. 56.

LXXXVII



1607 A.D. FACILIUS QVI VIAS DAI  
OMISSIT 1608

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
GEORGIO SEPTIMO ANDREAE  
DE PRAVN  
SERENISSIMI ET CELSISSIMI DVCIS  
BRVNOVICENS. ET LVNEBVRGENSIVM  
ADMINISTRO STATVS  
ET  
CONSILIARIO INTIMO  
VICE CANCELLARIO  
ET  
DVCALIS CONSISTORII PRAESIDI

RERVM AC SALVTIS PUBLICAE CVRATORI  
SAPIENTISSIMO  
MVSARVM  
ET INPRIMIS EORVM QVI IVSTI AC INIVSTI  
SCIENTIAM STRENVE COLVNT FAVTORI  
INCOMPARABILI  
**MAECENATI AC DOMINO**  
OMNI RELIGIONIS OBSERVANTIA  
VENERANDO  
HANC DISSERTATIONEM  
IN  
SANCTAE PIETATIS  
MONUMENTVM  
CVM  
ARDENTISSIMO  
PERPETVAE ET SVMMAE FELICITATIS  
VOTO  
SACRAM ATQVE DICATAM  
ESSE CVPIT  
**TANTI NOMINIS**

LONGE OBSERVANTISSIMVS CVLTOR ET CLIENS  
**CAROLVS GEORGIVS REINHARD.**

---

DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
DE  
EXCEPTIONE  
LITERARVM RESPIRATIONIS  
ET VEL DEBITORIS FIDEIVSSORIBVS  
PROFICVA.

---

I

*Introitus.*

**C**hamaeleonem toties, quoties humanos adspectus incurrit, ac velocitas fugiendi ei denegatur, nimia timiditate confusum multifaria ratione, adserunt, mutare colores suos, adeo, ut iam veneto, iam blatteo, iam prasinio, iam cyaneo colore conspiciantur. Aut fallor, aut iure optimo Theodoricus Ostragothus a) comparat bonorum decoctorem cum tali bestia, quae parvorum serpentum consimilis a caeteris sui generis aureo tantum capite discernitur. Is enim modo albescit, modo sanguine ab imis praecordiis exaestuante erubescit; modo ei

*Ora tument ira, nigrescant sanguine venae,  
Lumina Gorgoneo saevius angue micant;*

modo, quo maiori ardore credidores fidem nomenque expungi postulant, eo magis ipse effervescit, frontem

A

con-

a) Eius meminit MARQ. FRE-  
HERVS de Fama Publ. lib. II. cap. 13. n. 15.

contrahit, rugas colligit, dentes comprimit, cura anxius  
voces parum explanatas soluit; modo vespertilionum mo-  
re fugitar, latitat, perreptat domum, scrutatur arculas;  
modo mentitur, supplicem agit, dextram creditoris, ti-  
tulos emendicatos, quibus debitor superbit, usque deque  
habentis, prehensat blande, satagitque, ipsum

*prece blanda*

*Ducere, quo vellet;*

modo manibus inter se, usque ad articulorum strepitum  
contritis, flagitat, in primis si digitis notatus, exaudit sub-  
inde acclamationem.

*Nunc, nunc hic, hic, quem querimus, hic est,*

aut si tot audaculi creditores, e tabulis solutionem petitu-  
ri, a gallicinio usque ad concubium noctis domum ipsius  
obdident, adeo, ut hos ad mortuum effundant aduolare,  
vicini iurent. Quo infeliciorem conditionem esse,  
vider, si aut laribus, et avita domo, carendum, aut si in  
eo extrema felicitas querenda foret, ut sibi ipse heres  
esset: eo pertinacior exigit iudicis auxilium, ipsumque et  
vel per superos rogitat, ut induciis indulgendi femer de-  
fendant ab iniuriis creditorum iusto onerosiorum. Quod  
iterum iterumque suggesterunt leges romanae, puta, ut  
creditoris summo iuri nil iniuriae admisceatur: id, au-  
tor sum, ut iudex ante oculos habeat, litibus inter cre-  
ditores debitoremque agitatis. Maxime vero ista cautio-  
ne opus erit, si, qui non suo, sed nouercantis fortunae  
vitio mersus erat aeri alieno, debitor rei suae praesidium  
quaerit in aliqua mora: at si e contra creditores, summo  
et stricto iuri confisi, reclamant, et coram tribunali vr-  
gent aut nummos paratos, aut, qua aedes debitoris or-  
netur, inscriptionem, puta, venales extant. Habet tunc  
index, ut nobile officium explicet, et, quo acerbiorem  
cre.

creditorem esse videt, eo faciliorem se praebeat ad inducias concedendas. Nuper apud nos quaestio incidit, et ego, eam, memini, in senatu prudentum agi, num, creditoribus nomina restituenda persequentibus, fideiussori prossint induciae, debitori statu tempore, terminum solutionis vocant, non soluenti, gratiose concessae? Num fideiussor ab actione creditorum tutus sit virtute literarum respirationis, quibus debitor se defendit, adeo, ut per prolixioris temporis spatium, vario quaestu honesto illam bonorum iacturam, quae fortunae iniuria patiebatur, quodammodo reparer, resque suas ita componat, vt, induciis aliquot annorum finitis, non modo creditoribus satisficer queat, sed vt etiam sibi quoddam suppetat patrimonium? Num fideiussor, in ius vocatus, mereatur ad sensum, quando obiicit, quod, sicuti e literis respirationis in debitorem hic fructus redundat, ut, durante moratoriis auctoritate, creditores solutionem nominum exigere nequeant, ita etiam nec ipse obstrictus teneatur ad nomina delenda, vsque dum durat tempus, in literis respirationis memoratum? An talis quaeso defensio proseritur legibus suffragantibus? Quidam prudentes b), iusto rigidiiores, fideiussorem ab vsu literarum respirationis debitori indultarum ea propter excludi, volunt, quod iura creditorum laederentur, si iudex permitteret fideiussori, diem de die trahere, credulos creditores, et nuda spes pendentes, ludere, cumque ad extremum, vbi hi rem

A 2

serio

- b) In his recensendis non est, cur longiorem rationem nunc facere velim, quam me aliorum, puta, GVL. ANT. de FREVDEBERG de Refc. Mor. tit. IX, Concl. LXXI. et FR. IOS. HARTLEBENII Med.

*ad Pand. Jp. XV. med. 1., diligenter hoc labore leuauerit, et singulis prope huius nostrae disputationis paginis, rerum dicendarum ordine requirente, frequens multorum mentio facienda sit.*

¶ \* ¶

serio agunt, et feroce*s* incubunt, ad inducias tanquam  
ad sacram anchoram confugere. Fuerunt vero et alii,  
qui, cum iuris aequae ac aequitatis ratione convenire, di-  
cunt, ut etiam fideiussoribus profint literae respiratio-  
nis, datae debitori, quem angustia rei familiaris ad dictum  
diem soluere non patitur. Egomet controuersias, super  
dictam quaestione*m*, celebrem non minus, quam elegan-  
tem motas, curate ponderans compet*re*, prudentes hanc  
doctrinam oratione macri et ie*u*na magis tangere, quam  
exequi. Operae igitur pretium me facturum esse, non  
tam spero, quam confido, si fideiussoris cau*s*am perora-  
tur in chartas coniiciam meditationem *de exceptione literarum respirationis et vel debitoris fideiussoribus proficia*. In conficienda dissertatione cauebo, ne quis mihi cum  
philosopho, nescio quo, obiiciat, me ire viam, non qua  
eundum, sed qua vulgus incedere solet. Non perfrin-  
get mihi oculos eruditorum auctoritas, ut, quod communi-  
fere consensu amplexi fuerunt, illud egomet antelatu-  
rus sim isti, quod me recta doctrina est ratio. Si modo  
placeant ex adductis propositionibus quaedam, habebo,  
quod volo. Nam, ut placeant omnia, non postulo.

## II

*Literae respirationis describuntur, ac illarum usus probatur  
ex iure rom. et legibus imperii.*

At prius vero, quam accingar ad rationes, quibus  
causa fideiussoris nostri defendi potest, age, paucis scruti-  
nemur, quid denotent literae respirationis? et num ea-  
rum auctoritatem agnoscant tam leges romanae, quam  
iura nostri imperii. Sicuti literis, de quibus loquor, ab  
ipsa, quam indulgent, mora moratorii nomen inditum  
est, ac sicuti quinquennales vocantur, non quod ad quin-  
quen-

quennium sint restrictae c), sed quod plerumque dari so-  
leant ad quinquennium; ita etiam literae respirationis no-  
men inde sortiri solent, quod debitor, illarum auxilio,  
respirare a rei familiaris dispendio possit. Venit caete-  
rum sub illarum nomine beneficium, debitoribus non sua  
culpa, sed fortunae iniuria obaeratis, indultum, ne in-  
tra certum tempus ab ipsis petatur nominum solutio.

Iudicet, mea quidem pace, Cicero, multum mali in  
eo esse, quod Iulius, disiecta nouarum tabularum expe-  
ctatione, obaeratis ad solendum dieculam dixerit, siue  
produxit d). Non dubito, quin de acri hac consulis  
reprehensione deserenda pronuntietur, si modo ad com-  
petentes iudices venerit. Vti enim is non semper iniusti-  
tiae accusari potest, qui nec depositum illicet reddit, nec  
servat ea, quae maxime videntur digna esse iusto homi-  
ne, eoque inprimis, quem virum bonum dicimus: ita et-  
iam ex intelligentium omnium consensu nec is titulo in-

## A 3

iusti

c) Ita adfirmat erronee ANT.  
FABER in Cod., lib. 1, tit. 9.,  
def. 17., titubanter vero SAM.  
STRYCKIUS Diff. de Abusu  
Rescr. Morat. cap. II. n. 15. in  
eandem sententiam anno hu-  
iis saeculi VI. proclues fuisse  
videtur iureconf. lem. in resp.  
276. n. 23., quod iuris publici  
fecit C.H. WILVOGELIUS.  
At contraria sententiam post-  
ea in eadem academia publice  
defendebant BVRCH. GOTH.  
STRUVIUS Synt. Iur. Publ.  
Diff. XII. § 8 et 10., ac IOH.  
PHIL SLEVOGTIVS Diff. de  
Retor. in morat. non competet,

cap. III. §. 8. Si nosse cupis  
exempla, quae non ad quin-  
quennium, sed ant ad brevius,  
aut ad prolixius temporis spa-  
tium, concessa sunt, aedes FR.  
ES. PVEFENDORFFII Obs.  
Iur. Vn. torn. II. obs. 22. §. 2.  
Quae sit consilii caelareo auli-  
ci sententia de hoc quinquen-  
nio, patet e voto, Imperato-  
ri in causa Comitum Nasso-  
nio - Sarae pontanorum obla-  
to, quod exhibet E.M. MART.  
CHLADENIUS Diff. de Resc.  
Morat. curs. usurar. non si-  
lient. §. 2.

d) CICERO ad Att. lib. V. sp. 22.

iusti mactandus erit, qui, quam partem pecuniae, a creditoribus acceptae, nec alea, nec libidine consumeret, sed ut incendio, aut latrocino, aliquo casu tristiori, vna cum iuis nummis amississet, inducias aliquot annorum expetiebat a principe. Se enim commendant tam aequitate, quam insigni utilitate respirationis literae. Mirari igitur non subit, si, Imperatores Romanos tam duros rigidosque non fuisse, legas, quin aliquando iusta ex causa literas respirationis, seu, uti vocantur, moratoria praescriptiones miseris debitoribus gratiose rescripto dari posse, benigne iudicauerint. Temperare mihi nequeo, quin id probaturus subiiciam vnum saltim rescriptum, suo tenore memorabile. Edicebat nempe e)

Imp. CONSTANTINVS A. Seuero P F. V.

*Quoties rescripto nostro moratoria praescriptio permittitur, aditus supplicant pandatur. Quod autem totius negotii cognitionem tollit, et vires principalis negotii exbauit: sine graui partis alterius dispendio conuelli non potest. Nec praescriptionis igitur peremptoriae relaxatio petatur. Dat. 10. Kal. Iul. Nicaeae, PAVLINO et IULIANO Conf. 325.*

Frustra, me hercule! frustra contendunt IAC. CVIACIVS f), et eruditissimus quondam praeses, ANT. FABERVS g), non satis cohaerere recitati rescripti verba, nec partem posteriorem respondere priori. Indignor viros, prae caeteris de iurisprudentia meritos. Sensus enim perspicuus est, ac, si quedam subest difficultas, cessat, si modo cogitemus speciem, cum rescripti tenore conuenientem. Obtulerat, ut ego quidem puto, debitor, aere alieno laborans, preces de induciis aliquot annorum impetrandis. Desideriis examinatis id

CON-

e) L. 2. C. de prec. Imp. offer. g) A. FABERVS Error. Pragm. f) I. CVIACIVS libr. II. obs. 10. Dec. 25. err. 3. n. 4 et seq.

¶ ¶

CONSTANTINVS sollicite egit, vt publice inteligerent omnes, se non e sola plenitudine potestatis Caesareae, sed ybique habita aequitatis ratione, inducias indulgere. Scilicet prima rescripti, et vel per inscriptionem illustris h), parte autumnabat, supplicationem debitoris istius a iudice ad principem deferri posse, qui eaterus impetraverat literas respirationis, seu , vt se exprimit, praescriptionem moratoria, quatenus ius quaeſitum creditorum duntaxat differt, non vero omnino tollit. At quum videret, grauius dispendium infligi creditoribus, quam quod inuitos eos subire aequum est, si nimirum:

*aeternas iter in usque moras,*

ac si concedantur inducias, nominum exactionem remorantes aequae ac ius creditorum perientes: posteriori parte rescripti supplicantis adimebat spem impetrandi inducias perpetuo duraturas. Voluit nempe, vt, qui ipsius vice sacra iudicaret, qualis erat praefectus urbis, cui hoc rescriptum inscribitur, vt, inquam, hic supplicantis preces de tollenda praescriptione moratoria temporali, et concedenda alia in perpetuum duratura, gratas ac acceptas aequae non haberet, ac respueret potius desiderium, qui relaxationem praescriptionis peremptoriae petit. Non subscribebat igitur supplicantis debitoris libellos, tanquam ab aequitate et iustitia alienos, quibus exigebat inducias, quarum beneficio, quoad viueret, se defendere posset adversus creditores, forti soluenda insistentes. Haec nostra rescripti interpretatio non parum momenti habet ad docendum usum literarum respirationis iure ciuili conspicuum. Quid? quod illius ope ultra detegitur iniquitas, qua laudatorum iuris-

con-

h) Hac enim firmari aeram concilii primi oecumenici Nicæei, docuit IAC. GOTHO.

FREDVS Not. ad L.3. C. Theod. de div. ref.

\* \* \*

consultorum sententiam incusant prudentes, qui eam pau-  
lo accurrius expendebant. i)

Diu quidem mansit fidei laus, Germanis propria,  
sed non permanuit. Quamvis enim variis exemplis pos-  
set demonstrari, quam sancte seris temporibus adhuc fi-  
des apud Germanos custodita fuerit k): exterarum tamen  
gentium commercium, medio imprimis aeuo, Italorum  
et Graecorum luxum invexit, luxus peperit vitia. Inde,  
mutata Alamannorum mente, alia iam, ac olim, audiun-  
tur proverbia, vt *Versprechen ist edelmännisch, halten ist*  
*pöbelhaft*, item es darf Niemand ein Slave seiner Worte  
seyn, et quae sunt reliqua, quae gentem nostram a can-  
dore suo quasi connato descivisse indicant. Inde etiam  
tot sanctiones poenales, quibus et levitati fidei Germani-  
cae occurri, et caueri posset, vt desisterent a contrahendi  
nominibus, quibus delendis impares forent 1). At  
quum omnino sit res surda et inexorabilis, rem publicam  
habere armatam legibus, quae nihil veniae habent, nihil  
laxamenti: aliquid dandum esse, iudicabat Themis Theo-  
disca, et aequitati, et illi, quam natura inter omnes ho-  
mines constituit, cognationi, imprimis, quod ea fati vicis-  
tudo, quae debitorem hodie tangit, cras creditorem  
discutere possit. Quare mirum non est, si, eam iubere m),  
legas,

i) Vide OSW. HILLIGERI *Don.*  
*Encl. libr. XII. cap. IX. n. e.,*  
ac GASP. ZIEGLERI *Tr. de*  
*Iure Mai.*, lib. I. cap. 48. §.  
8. sqq.

k) Exemplum antiquae integri-  
tatis praebent verba des Sachsf.  
*Landrechts lib. 1. art. 7.*, wer  
icht borget, oder glaubet, der  
sol is halten, und was er thut  
das sol er stete halten, et Iuris

ALEMANNICI *cap. 12.* was  
der Mann gelobet, das sol en-  
set gelte.

1) Sanctiones poenales ea pro-  
pter latae tanquam in tabula  
sistunt IOH. CHR. QVISTOR.  
PIVS Parergis p. I. p. 165. et  
CH. GOTTL. RICCIUS de  
Conu. Oblig. Debit. ad Carc. in  
Caus. Debit.

m) Vide *Ord. Pol. Imp. de a. 1548.*

legas, debitores, aere alieno citra suam culpam labo-  
rantes, non excidere spe, impetrandi literas respiratio-  
nis a principe, in cuius manu validum praesidium esse,  
perat debitor, cuius res, nimium affictae ac detritae,  
moram, non aliquam, sed productiorem exposcere vi-  
dentur.

### III

*Ciubus mediatis literae respirationis conceduntur aut a  
creditoribus, aut a Caesare, aut a Principe.*

Quum sit non modo liberale, paululum quandoque  
de suo iure decedere, sed interdum etiam fructuosum:  
fieri saepius solet, ut et vel ab ipsis creditoribus conce-  
dantur literae respirationis. Quod VIRGILIVS iam olim  
cecerit n),

*Quo res cunque cadent, unum et commune periculum  
Vna falso ambo bus erit:*

id etiam de eiusce generis literis iure adfirmare poteris.  
Sortiuntur effectum, quamvis non omnes credores, sed  
plerique tantum, consenserint in dilationem indulgen-  
dam o). At, ut hominum natura est, ad dissentendum pro-  
na, quid, regeres forsitan, tunc haec defendere audes, quum  
tibi tamen in mentem venire debeat leges, quae praescri-  
bunt, ut illud omne, quod omnes tangit, a cunctis adpro-  
bari debeat p); ut porro in his, quae sunt plurimum commu-  
nū,

### B

tit. XXII. §. 2, Ord Pol. de 1577. tit. XXIII., Rec. Imp. Nou. §.  
175., ad cuius illustrationem  
spectat HENR. HAHNII Comm.  
ad §. indag. Instr. Pac. Westph.  
et Const. von Schuld-Sachsen.

a) VIRGILIVS Aen. libr. II. v.  
709.

o) Vide, praeter L. fin. C. qui  
bon. ced. poss., BEN. CARPO-  
VII Tr. de Asyl. Debit., cap.  
IV., pos. 63, n. 67 sq. et A.D.  
LAVTERBACHII Diff. de  
Praxiud. pacificremiss. mai. part.  
cred. th. 19.  
p) C. 29 X. de regul. tur. in Vito.

nia, non singulorum, vel maioris partis voluntas sufficiat, sed omnium adhiberi debeat consensus q)? Non pertimesco hoc dubium. Siue enim attendamus humanitatis rationem, siue adhaeramus necessitatibus: utraque vult, ut sustineamus literas respirationis a maximo creditorum numero concessas, perinde sicuti id, quod maior pars curiae efficit, pro eo haberi debet, ac si omnes egissent r). Literis respirationis eiusque generis imperatis debitor se tueri potest etiam aduersus istius creditoris molimina, cuius voluntas in concedendo indultu conuentionali a reliquis creditoribus ea propter dissentiebat, quod tener chirographum, in quo diferte renunciatio exceptionis moratorii est facta. Repugnat enim talis renunciatio bonis moribus. Misericordiae, caritati, humanitati aduersatur. Ne adducendis pluribus aliis argumentis actum agere videar, id duntaxat adduco, haud ita pri dem libellum, in quo actio aduersus debitorem, talibus literis respirationis munitum, ea propter instituebatur, quod idem is in chirographo renunciauerat exceptioni literarum respirationis, reiecisse venerandum meum parentem, approbantibus Iuriumconsultis Helmstadiensisibus. Temperare mihi nequeo, quia proferam rationes decidendi, quae doctrinam nostram illustrant. Ita sonant, *Hier nächst aber 4) die Sache selbst gegenwärtig einzig und allein einen von dem Landes-Herrn bestätigten Conventional Indult betrifft, welcher nicht sowol eine Remission an Capitalien oder Zinsen, als vielmebr die Capitalien annoch auf verglichene Iabre ungekündigt zulassen, zum Vorwurf bat, und dem, was Implorat ad Nr. 7. Lit. G. behauptet bat, und von Imploranten in specie nicht wiedersprochen werden mögen, außer ihm seine sämmtliche Gläubiger beygetreten sind, iv solches*

q) L. 24. D. Comm. præal.

r) L. 19. D. ad municip.

\*\*\*

ebenfalls aber die Gesetze klar verordnen, daß das, was von denen mecklenburgischen Gläubigern hierin verglichen worden, die übrige wenige dissentirende Creditores verbinden solle,

L. 8. D. de paß.

L. i. D. de priu. cred.

L. fin. C. qui bon. ced. poss.

ohne daß diese Gesetze eine Beschränkung oder Ausnahme bey denen Creditoribus machen, welche von dem Debitor die ausdrückliche Verzicht der Exceptionis indulti moratorii erhalten haben; Anbey 5) es ohne dies sehr großem Zweifel unterworfen bleibt, ob dergleichen Renunciations cum effectu geschehen können, oder nicht, in Betracht es so wenig in des Debitoris Mächten siehet, die Cessionem bonorum in Casum Casus von sich abzuwenden, und derselben gültig zu renunciren, eben so wenig derselbe die Fälle voraussehen und abwenden kann, welche ihn in die Notwendigkeit setzen ein Indultum Moratorium in Ansehung der Kündigung derer Capitalien zu suchen, gestalt eine jede Verbindlichkeit jederzeit die stillschweigende Clausul rebus sic stantibus, et in eodem Statu permanentibus, mit sich führet, und daher auch bey gänzlicher Abänderung des Status Rerum die Verpflichtung von selbst aufhört, andererseits der Schuldner über seine Kräfte angestrengt, und die Renunciatio Selbst auf solche Fälle ausgedehnt werden müßte, an welche weder Tempore Contractus gedacht werden, noch auch menschlicher Weise gedacht werden können; weswegen dann auch 6) von vielen berühmten Rechtsgelehrten dergleichen Renunciations mit gutem Grunde bey sich ereignenden Fällen für unkräftig und unverbindlich gehalten werden,

MEVIVS Disc. Leu. Iuop. Deb. Cap. IX.

STRYCK de I. Sens. Diff. X. Cap. VII.

MILLIGER ad Don. L. XXII. Cap. IX. lit. m.

Dieses auch gegenwärtig um so mehr Platz findet, da bey dem im Streit befindenen Indultu moratorii conuentionali es hauptsächlich auf das Interesse Creditorum ankommt, indem solches auf die gänzliche Befriedigung sämtlicher Gläubiger abzielet, welchem der Schuldner mit keiner Renunciation auf eine Art praeiudiciren mag,

P V F F E N D O R F F Obs. Iur. Vn. Tom. II. Obs. 23.

verfolglich auch 7), wenn die mehren, und unter solchen auch diejenigen Gläubiger, welche ebenfalls des Debitoris Renunciationem Exceptionis indultus moratorii vor sich haben, einen dergleichen Indult eingeben, und zum allgemeinen Besen von der Strenge ihres Recbs ad Tempus abgeben, es auch die Billigkeit erfordert, daß der geringere Theil derer Gläubiger, noch mehr aber, wie hier, ein einziger Creditor, einer solchen Vereinbarung beytrette,

Arg. L. 8. C. de iudic.

bevorab derselbe auch dadurch keine Einbuße, sondern nur dieses erleiden soll, daß mittelst dieses Indults, aller befürchteter Schaden und Verlust an Capital und Zinsen abgewendet werde.

At debitori, per temporis casum infelici, non solum a creditoribus prorogari solet tempus ad nomina expungenda, sed etiam literae respirationis concedi, mos est, e gratia Principum. Siue enim earum effectum ponderes, siue cogites iura creditorum suspendenda: sequitur, imperantes, quibus ius est, iura tam condendi, quam restringendi, miseros debitores tueri posse concedendis literis, de quibus est sermo. Quare proceres imperii nostri, qui in alma Germania exercent regalia, etiam iure suo indulgent in suis terris eiusce generis literas. Quid? quod ciuis mediatus, aulae caesareae addictior, si implorat Caesaris auxilium, impetrare omnino poterit literas respicit.

respirationis. Nam negari nequit, cum legibus anteriorum saeculorum conuenire doctrinam, qua defendunt, validum omnino in Caesaris manu positum esse praesidium, cuius gratiosis codicillis, a creditorum iusto onerosiorum iniuria, se defendere possunt omnes imperii Status, vniuersi imperii ciues, tam immediati, quam mediati s). Abundant tabularia literis respirationis, quas gratiae Caesarum debitores infelices debent. t) Pūtarem caeterum, quod, sicuti ab eo tempore, quo beneficio foederis Westphalici, Osnabrugae feliciter percussi, Proceres Imperii superioritatem territorialem confirmatam acceperunt u), Imperatores iacturam circa priuilegia concedenda sentiunt; ita etiam idem iudicium ferri debeat de Caesaris iure indulgendi literas respirationis

B 3 ciui-

- s) Euoluas Ord. Pol. Imp. cit. Ac quum Proceres Imperii Reg. nou. §. 175 debitoribus, ob calamitates bellicas lapsis, prospexerint, et Caesaris ius danni literas respirationis debitорibus restrinxerint; sequitur, Caesarem in casibus non exceptis uti posse hoc iure.
- e) Adiicere plura exempla, paginae intercedunt. Id vero addidisse, e re nostra est. Nempe Archidicasterium Imperii, puta, Senatus Caesaris aulicus, tateius, quatenus exercitium referuatorum caesareorum habet, cognoscit de libello a debitore oblato, votumque de concedendo moratorio facit ad Caesarem. Vide Ordin. Sen. Imp. Aul. tit. u. §. ii

et IO. IAC. MOSERI *Teutischer Staats-Recht* tom. IV. lib. n. tit. ii. cap. 69. §. 13. At Came-ra Imperii destituit iure et dandi literas respirationis, et cognoscendi de earum valore. Euoluas, praeter IOH. VLR. L. B. de GRAMER Par. p. CXXII. p. 99. FR. GUIL. TAFINGERE *Inst. Iuri spr. Cam. sect. III. tit. II. §. 453.*

u) Conferas, si placet, I. P. O. Art VIII. §. i. Si vero ipso natales superioritatis territorialis Procerum Imperii nosse cupis: legas D. G. STUBENII *Neben-Stunden p. IV. et Eiusdem Vernicht. Beweis der T. Reichs-Stände Landes-Habsit vor dem Inster. Hamm. 1763.*

ciuibus mediatis. Audias capitulationem Caesaream x),  
 wir wollen weder den Reichs-Gerichten, noch sonst Iemand,  
 wer der auch sey, gestatten, daß den Ständen in ihren Ter-  
 ritoriiis in Religions-Politischen und Iustitz-Sachen sub quo-  
 cunque praetextu vor- und eingegriffen werde - - it. den  
 Ständen ihre Regalien, Obrigkeitten - confirmiren, und Nie-  
 manden einig Priuilegium darunter erteilen - -. Quae le-  
 gis regiae verba edocent, Caesaris ius, ciuibus Staruum  
 Imperii mediatis priuilegia dandi, restrictum esse. Nam  
 tunc demum ea concedit, si Procerum Imperii iura non  
 laeduntur. Eosdem limites Caesar, meo quidem iudicio,  
 obseruare obstrictus tenetur, quando ciuibus mediatis  
 concedit literas respirationis. Quare, opus esse, opinor,  
 vt cum Principe, cuius ciuis, bonis lapsus, implorat Cae-  
 saris auxilium, proces subditi communicet, exigaturque  
 cognitionem instituendam, an supplicans rerum inopia  
 laboret? an per temporis infelioris calumniam incide-  
 rit in inopia? quanto aere alieno prematur? an egeat  
 auxilio? Si talis cognitio causae non instituitur: oritur  
 praesumptio, literis respirationis, a Caesare impetratis,  
 obstare exceptionem sub et obreptionis. Quare proprie-  
 tio iure Princeps earum vim ac potestatem suspendet,  
 donec relatione ad Imperatorem facta constabit, num is  
 in sua sententia permanere velit y)? Hanc doctrinam is  
 fortasse nec ratam habet, nec sibi acceptam, qui in classem  
 reseruatorum caesareorum referunt ius indulgendi literas  
 respirationis z). At inique. Quod enim tale ius dici ne-  
 queat reseruatum caesareum, et vel exinde elucet, quod  
 Proceres Imperii eodem iure vtantur. Id caeterum discri-  
 men

x) Cap. Casf. art. 1. §. 8 fqq.

y) Hoc consilium dedit I. H.  
 BOEHMERVS Exerc. ad Pand.  
 XLVI. cap. II. §. 3.

z) Id faciunt, vt alios omit-

tam, GABR. SCHWEDE  
 Intr. Iur. Publ. part. sp. scđ. I.  
 cap. 17.

men inter literas respirationis a Caesare et Ordinibus Imperii intercedit, quod illae in uniuerso imperio vim fortiantur, et obseruari debeant ab omnibus, et aduersus omnes; harum vero vis et potestas se saltim intra fines territorii Principis exserit, a quo fuerunt impetratae. Ergo si debitor, literis respirationis munitus, reperiatur extra principis territoriorum in loco aut contractus, aut solutionis: nil impedit, quo minus a creditore extero conueniri possit a). At eidem ipso creditori extero exceptiōnem moratorii e contra obiicit, si ipsum in territorio principis, literas respirationis indulgentis, actione prouocaret. Placet quidem non paucis iuris publici doctoribus opinio, qua literae respirationis, a Proceribus Imperii concessae, non nisi contra istos tantummodo creditores vim habent, qui concedentis iurisdictioni subsunt. Si licet meo vi ingenio: deferenda haec sententia. Nonne enim exteri aequae ac domestici, si litigant in foro Principis, literas respirationis indulgentis, sese ipsius potestati iudicariae subiiciunt? Nonne quoad ius in actionem deductum exteri esse desinunt? Nonne Princeps virtute iurisdictionis iudicariae, cui exteri, debitorem literis respirationis munitum conuenientes, se submittunt, super omni iure ac obligationibus circa rem vel personam sibi subiectam cognoscit? Quae momenta, si secus sentientes in animum induxissent; nullus dubito, quin eandem mecum doctrinam docuissent.

## IV

*Exceptionem literarum respirationis debitori a creditoribus concessarum et iam eius fideiussoribus prodeſſe, deſetur.*

Proſunt-

a) Inter hos eminentiōN. FRID.  
PF E F F I N G E R V S ad Vitr. libr.  
III. tit. II. §. 31. n. a., IOR.  
CONR. de VFFENBACH de

*Conf. Aul. cap. XI. foſſ. II. §. 9.  
CAR. de HAGEN Disp. ds Tha-  
duc. Mer. th. 6.*



Prosuntne vero debitoris fideiussori tam prioris,  
quam posterioris generis literae respirationis, de quibus  
huc usque edisserui? Ut quaestio haec planior fiat, age,  
diuidamus species. Omnium primo ponderemus ratio-  
nes, quae docent, prodeesse omnino fideiussori exceptio-  
nem literarum respirationis, quas debitori infelici con-  
cedeant creditores, qui suis auribus insursum patie-  
bantur preces, non absimiles precibus seruuli istius voca-  
ferantis μανεῖον Θύμητον ἐπ' ἐμοι, καὶ πάντας ἀποδέσω τοι,  
leni animo sis erga me, et omnia reddam tibi a).

Si, qui fortunae mala consilio superare didicit, nec  
irascitur illi, casus molenti, qui per prudentiam euitari  
nequeunt, debitor infelix iniebat cum creditoribus beni-  
gnis pactum, ut ne nomina a se petantur: conuentio-  
nem hanc, legibus suffragantibus b), fatentur omnes,  
prodeesse fideiussori, eumque liberare ab obligatione. Pe-  
riculum namque est, ne, si talis obligatio haud dissoluatur,  
fideiussor ipsum debitorem conueniat aut mandari  
iudicio c), aut actione negotiorum gestorum d). Id cae-  
terum adeo verum esse, opinor, ut, tametsi idem ille de-  
bitor alio pacto, recens inito, promiserit, a se repeti non  
posse nomen contractum, quod creditor pacto priori re-  
miserat, ut, inquam, nihilominus exceptio perpetua pa-  
cti de non petendo, fideiussori semel quaesita, huic inui-  
to nec extorqueri, nec utilitas huius exceptionis elidi  
queat e) pacto posteriori.

Stupes, dum haec legis. Adsertionem hanc nostram re-  
cipi posse, eapropter negas, quod scribat f)

PAV-

a) MATT. XVIII. 25.

d) L. 4. D. de neg. gest.

b) L. vlt. D. de pac*t*.e) L. vlt. D. de pac*t*.

c) L. 32. D. eod. tit.

f) L. 27. §. 2. D. tit. eod.

## PAVLVS lib. 3. ad Edictum

Pactus, ne peteret, possea conuenit, ut peteret, prius pāctū per posterius elidetur: non quidem ipso iure, sicut tollitur stipulatio per stipulationem, si hoc actum est, quia in stipulationibus ius continetur, in pāctis factum versatur: et ideo replicatione exceptio elidetur. Eadem ratione contin-  
git, ne fideiūsoribus prius pactum profit.

Quae verba PAVLI, edictum illustrantis, exercuerunt non paucos g), adeo, vt, quoties ea peniculatius expendo, additis, excisisque, quae atroci stylo immutarunt erudi-  
ti, pictorem mihi videre videar, qui ad nutum cuiusque prætereuntis imagines eleganter expressas correxerat,  
donec non leo, non castor, non pollux, amplius adpare-  
rent, sed potius catuli, partu quos reddidit vrsa recenti.  
Ne, si nil regeram, me ad silentarios Pythagoraeos de-  
flexisse, incuses, in legis huius, quae meam doctrinam subuertere videtur, sensu perscrutando inpendebam dili-  
gentiam, forsitan non dissimilem industriae, qualem ad-  
hibuisse, dicitur Apelles, quum Venerem pingeret *av-  
duquēvnu*, e mari emergentem. De duabus speciebus, vt  
ego quidem opinor, iudicium ferebat iureconsultus. Pri-  
mam ita concipio. Acceperat Cneius a Titio C. aureos  
creditos. Ut intelligeret creditor, se quidem infelici, at  
amicissimo, homini tribuisse officium, debitor Cneius in re-  
bus Titii promouendis omne studium consumebat. Quae  
quidem res creditorem mouebat et delectabat, adeo, vt  
cum debitore iniisset pactum de credito non repetendo.

C

Acci-

g) Vide LVD. CHARONDAE Ve-  
risim. lib. I. cap. 4, 108. NERII  
Analect. libr. I. cap. 28. in EV.  
OTTONIS Th. tom. II. f. 362.  
EV. BRONCHORSTII *Euvrtois-*

*Quvw cent. IV aff. LIX, GERM.  
NOODTII Op. tom. I l. f 501.  
PETR. de GREVE Exerc. ad  
Dig. loca diff p. 76.*

Accidit vero paulo post, non inquiram, quo fato, ut Cneius cum extraneo incideret in litem permagnam. Controversiae huius coram tribunal finienda patrocinium suscipiebat Titius, causarum orator disertus. Praeter omnem expectationem prospere feliciterque eueniebat litis euentus. Quare debitor Cneius, ne incurreret in crimen hominis ingrati, tollebat prius pactum de non petendo, iniebatque conuentionem aliam, qua creditor reuperauit ius, pacto anteriori sublatum, puta, exigendi nomen C. aureorum. At vt fieri solet, amicitia inter creditorem ac debitorem iusto citius coepit refrigerescere. Hinc Titius iuris experiundi gratia Cneium vocabat ad praetorem, et nomen C. aureorum expungi postulabat. Irriferat quidem auctorem Cneius, ac, quum actio non tam eleuatura, quam contentione potius frangenda videatur, obiecerat exceptionem pacti de non petendo. Si vis, ita regerebat Titius, replicare memoriam gestorum: nosse debes, pactum istud, quod mihi obiicis, sublatum esse ipso iure, per conuentionem alteram de credito repetendo. Sicut enim, ita dicere pergebat, stipulatio posterior ipso iure extinguit omne illud, quod priori stipulazione erat promissum: ita etiam posterius pactum de petendo fecit, vt ipso iure obstrictus mihi esses restituendi C. aureos. Quid queso P A V L V S respondebat ad hanc speciem? Quod is tulit, iudicium prioribus legis, mihi oppositae, verbis contineri, cernis. Eorum mens, vt ego quidem arbitror, eo redire videtur. Nempe quum P A V L V M non fugeret, quod Praetor, tametsi sese ex bono et aequo pactum seruaturum ediceret, tamen non quidem nomine pacti posterioris actionem polliceretur, sed tantummodo exceptionem e vi naturalis obligationis, quae huic pacto posteriori inest, productam extingui non sineret: auctor est iurium consultus, vt Titius creditor

virge-

urget posterius pactum, atque sic huius ope infringat  
robur pacti prioris de non petendo. Non igitur, e iudi-  
cio P A V L I, eadem ratione, qua stipulatio ipso iure tolli-  
tur per stipulationem contrariam, si hoc actum est, pa-  
ctum de non petendo dissoluitur pacto posteriori de pe-  
tendo. Est, eritque prioris pacti sua vis et potestas, do-  
nec in replicis adponitur exceptio, desumpta a pacto po-  
steriori de petendo. Ne quis religioni ducat, iudicio  
huic subseribere, P A V L V S suam decisionem firmat hac  
ratione, quia in stipulationibus ius continetur, in pacto  
versatur factum, et ideo replicatione exceptio infringi-  
tur. Aut fallor, aut ius in stipulationibus contingi, ea  
propter adfirmat P A V L V S, quod ipsum ius omne robur  
quasi finu effuso effundit in stipulationem, adeo, ut stipu-  
latio ipso iure tollatur per stipulationem contrariam, nec  
ad producendum hunc effectum opus sit exceptione, pe-  
tenda a stipulatione posteriori, quae priori plane est ad-  
uersa. At quum e contra in pacto dispensetur non nisi  
tenue ac frigidum robur a iure tanquam nouerca, illud-  
que non actionem producat, quam potius exceptionem,  
qua se defendat reus, ne condeinetur: mirum non est,  
si, P A V L V M dixisse, legas, in pacto versari factum. Non  
subsistebat antecessor haec primae speciei decisione. Ad-  
dit enim iudicium de alia adhuc specie hisce verbis, ea-  
dem ratione contingit, ne fideiussoribus prius pactum  
prosit. Quae verba, e tuo iudicio, omnium efficacissima sunt  
ad subvertendam meam doctrinam, qua exceptio perpetua  
pacti de non petendo fideiussori semel quæsita huic in-  
vito extorqueri nequit! Nullus, ingenue fateor, per-  
imesco haec verba, ad quæ aduersarii eodem celeri gres-  
su accedunt, quo ad pilæ iactum catelli cursitant, aut fe-  
ties. Ea enim non de debitoris in ius vocati, sed de fide-  
iussoris pacto dupli intelligenda sunt, quæ et hic inierat

eum creditoribus. Sicuti nempe prius pactum debitoris, quo conueniebat cum creditore de non repetendo credito, eliditur per posteriorem conuentionem, reo promittente postea de petendo: ita etiam eadem ratione fideiussoris pactum prius elidetur per posterius, ab eodem illo fideiussore celebratum. Sensus igitur recitatorum verborum est, quod, si fideiussor pactum cum credirore iniisserat, ne a se peratur nomen, pro quo fidem interpolauerat, atque si idem is recentiori conuentione creditori indulsisset ius exigendi nomen, in priori pacto deletum, quod, inquam, in tali specie pactum prius non proposit fideiussori, pura, si creditor in replicis se defendit exceptione pacti posterioris de petendo. Quae igitur vis e priori pacto de non petendo nascitur: ea non ipso iure per conuentionem posteriorem, priori aduersam, tollitur. Opus est, ut, si fideiussor contra datam fidem vrgeat exceptionem prioris initi pacti de non petendo, creditor in replicis obliuiciat pactum posterius de petendo. Vim ac potestatem prioris pacti funditus euerti ope huius exceptionis, dubio caret. Ita vero accider, quod recitatis verbis P A V L V S proposuit, ut scilicet eadem ratione, qua, in prima abs me proposita specie, obligatio e priori pacto oriunda adimebatur demum per exceptionem pacti posterioris, etiam in hac altera specie fideiussoribus prius pactum non prodesset.

At quorsum haec dispuo? quorsum? ut intelligas, propositam, ac a secus sentientium dubiis defensam, doctrinam suggerere rationem non contemnendam pro tenuenda fideiussoris nostri caussa. Si enim verum est, uti verum esse e dictis patet, quod pactum de non petendo debitoris fideiussoribus proficiat: sequitur, exceptio literarum respirationis, a creditoribus concessarum, etiam debitoris fideiussori proficuas esse. Atqui. Ergo. Quam

Quam ratiocinationem, quin plausu excipias, nullus dubio. Scis enim, vel saltim scire debes, quod, cui licet plus, etiam ei minus liceat h). Pactum vero de non petendo maiori emolumento esse, sciunt omnes, quam dilatations temporales. Et quid multa? Nonne literae respirationis, de quibus sermo, complectuntur pactum de non petendo, ac id discrimen duntaxat intercedit, quod non in hoc, bene autem in illis adiectum conspiciatur certum tempus, puta, ne intra biennium, vel quinquennium, nominis solutio petatur? Nonne ergo iudiciae, debitoria creditoribus ad certum tempus concessae, intra dicti temporis spatium eandem vim habere debent, quae inest pacto de non petendo? Putarem.

Excipiat hanc rationem, alia, quam suppeditat pactum de non petendo intra certum tempus. Nimirum adserere, nullus erubesco, et vel cum legibus diu iustiniani conuenire doctrinam, qua dicitur, memoratum pactum in dubio magis in rem, quam in personam conceptum intelligi. In meam partem ibis, si modo argumenta, a nexus paragraphorum petita, non spernes. Scilicet postquam legislator optimus tradidit doctrinam de exceptionibus e pacto de non petendo dilatoriis, quae ad tempus nocent, et temporis dilationem tribuunt i): statim subiungebat exceptiones, quae e persona sunt dilatoriae k). His textibus proprius examinatis, tantum abesse, mecum adfirmabis, ut iustini exceptionem pacti conueni, ne intra certum tempus petatur, inter posterioris generis exceptiones regulerit, ut eam potius adieceris exceptionibus prioris classis. Dum ergo ipse diuus iustini

C 3

NIA.

ii) L. 21. D. de reg. iur.

k) S. ii. I. de exc.

i) S. io. I. de exc.

NIANVS dubitabat, exceptionem pacti de non petendo adiungi exceptionibus, quae e persona sunt dilatoriae; putarem, quod, de qua loquor, exceptio, ex mente Imperatoris, realis dicenda sit, in primis, quum non e persona, ac potius ex ipsa causa, pura, solutione debiti, fluat. Similem, ecquis neget, cum hac exceptione indolem ac naturam habere exceptionem literarum respirationis a creditoribus indultarum? Est enim illius species. Si igitur illa secundum mentem legum Iustinianearum realis, aut saltim in rem scripta, dici potest: quare non et haec nostra exceptio, de qua loquor, praeferim, quando literas respirationis non his similibusue verbis, paciscimur, ne a Lucio Titio petamus, expressas 1), quam potius alii generalioribus loquutionibus conceptas esse, legis, veluti, nos creditores intra quinquennium non petamus, aut nos profitemur, te non teneri intra hoc tempus 2). Ergo si iuxta analogiam iurium ciuilium in dubio exceptio literarum respirationis, a creditoribus debitori concessarum, realis, aut in rem scripta dici potest n); sequitur, eam et debitoris fideiussoribus esse proficiam. Atqui. Ergo.

V

- 1) Si talia verba sunt adhibita; id ea propter factum esse, censetur, ut ostendamus, quocum pactum sit factum. Vide, praeter L. 7. §. 8. D. de paſt. H. BORNELLI Comm. Iur. Ciu. lib. 22. cap. 4. n. 39. Simili ratione dicendum erit, literas respirationis non nisi debitori esse a creditoribus concessas, si appositorum esse deprehendis dictio rem taxativam duntaxat, fo-

lum, tantum. Enolias cit. L. 7. et L. 8. §. 3. D. de lib. leg. Jungs, si placet, IOH. ZANGERI Tr. de Exc. part. III. cap. 15. et IOH. HARPPRECHTII Comin. ad Inst. tit. de exc. §. 3.

2) L. 40. pr. D. de paſt.

n) Vide IOH. HENR. BERGERI Diff. de his, quae circa praefcript. morat. falſo traduntur, §. 23.

## V

*Exceptionem literarum respirationis, a Principe indularum  
debitoris fideiussori proficuum esse, daret finis  
fideiussionum.*

Fallor, aut egomet, rationes sollicite magis, quam erudite, quaerens illorum more, qui cura scientiam supplet, nullus errare videor, si pro oranda causa argumentum praecipuum desumam et vel ab ipsa fine fideiussiosis. Habet fideiussio secum, ex debitoris promissione, tacitam conditionem, ut ad id tempus trahatur, quo venit dies solutionis, ac ut proin dies solutioni praefixus, et in literis respirationis, gratia principis indultis, prorogatus etiam in fideiussione prorogatus esse videatur. Quamdiu igitur reus non debet, id est, quam diu dies, quo nomina expungenda a debitore obaerato expectat creditor, non venit, qui autem non venisse dicendus est, tempore nondum elapo, quod cantant tales literae, codicilis principis indultae: tamdiu etiam nec fideiussor debet, nec proin actione conueniri potest o). Dubio enim caret, obligationem fideiussoris esse tantummodo quandam accessionem obligationis principalis p). Eam vero, scimus, esse accessionis indolem, ut sequatur naturam principalis obligationis, non vero excedat. Quocirca iure constitutum q), legimus, ut non modo ab initio fideiussio omni vi ac potestate destituatur, si obligatio principalis non subsistit, sed ut etiam, secundum communem accessionum omnium naturam, tollatur ac funditus euertatur fideiussoris obligatio, obligatione debitoris principis extincta. Si vero hoc verum est, vti omnino est verum:

vale-

o) L. 57. D. de fideiuss.  
p) § 5. Inst. tit. eod.

q) L. 43 D. de solut., L. 173. D. de reg. iur.



valebit a maiori argumentum ad minus, ac dicere licebit,  
 quod, sicuti debitoris principis obligatio solutionem  
 praestandi non in totum perimitur, sed tantummodo ces-  
 sat quoad certum tempus, induitis a principe literis respi-  
 rationis; ita etiam fideiussor optimo iure oblicere queat ex-  
 ceptionem literarum respirationis, quando ab ipso, in ius  
 vocato, solutionem nominum exigenter creditores, non  
 dum elapsu tempore, quod memorant literae, de quibus  
 est sermo. Annon enim, iudicante quaefo, ad quorum tribu-  
 nial hoc specimen inaugurale defero, annon fideiussor, qui  
 nullo iure cogente, sed humanitatis duntaxat officio, fi-  
 dem suam interposuerat, multo infelicior foret ipso de-  
 bitore principe, quando creditor inhumanus formula  
 horrifrons, sequere ad tribunal, fideiussori acclamare pos-  
 set, tempore nondum elapsu, in literis respirationis memo-  
 rato? Annon fideiussor in deteriorem ac duriorem cau-  
 sam adhibitus foret dicendus, si, qui aulicorum ad instar  
 Autant quidem, oscula ferunt, ore gestuque benigni vi-  
 dentur, creditores, animo vix humani, illicet fideiussor-  
 rem actione conuenire aequae ac vociferare possent, nul-  
 lam in eum redundare utilitatem e literis respirationis,  
 quas infelix debitor debet gratiae principis? Annon acces-  
 sio deterioris indolis foret obligatione principali, si cre-  
 ditori indulgamusius cogendi fideiussorem, vt nomina  
 expangat ante praeterlapsum tempus, de quo loquor?  
 Quis elidat, aut infringat hanc doctrinam? Vox autem  
 iterata est nomothesiae romanae, vt eos, qui accessionis  
 loco solutionem promittunt, in leuiorem, non deterio-  
 rem causam accipiamus r); vt, si quando fuerint in duri-  
 rem causam adhibiti, omnino non obligentur s), id est,  
 seu ego quidem, miscellionibus iureconsultis me admi-  
 scens,

r) L. 34. D. de fidei.

s) L. 8. §. 7. D. tit. cod.

scens, arbitrör, vt fideiussor, si ad maiorem summam se-  
se obligavit, ac ea est, quam debitor debet, vt, inquam,  
fideiussor in concurren tem modo summam obligetur. At  
vero, si quid ab ipso vltra concurrentem summam expe-  
tunt creditores, nullatenus eadem ratione obstrictus tene-  
tur, ac fideiussores pure accepti, reo principe sub con-  
ditione obligato s). Tanto aequius est, vt, ad horum pla-  
citorum analogiam, fideiussorem ab onere soluendi exi-  
mamus, donec tempus, in literis respirationis memora-  
tum, nondum elabebatur: quanto certius est, quod no-  
mina expungenda in eum modo euentum suscepit, si  
adpareret, infelicit debitoris facultates non sufficere ad  
nomina delenda. Id vero demum adpareret, finito tempo-  
re literarum respirationis. Periculum sane est, vt, si  
haec placita spernas, quiuis bonus deterreatur ab inter-  
ponenda fideiussione, quam non raro, liceat CLAUDIA-  
NI verbis vti t),

## D

- - sem-

s) Hanc nostram cit. L. 8. expli-  
cationem, non absimilem do-  
ctrinae, quam tradiderunt  
CAR. FRID. WALCHIVS In-  
trod. in contr. iur. scft. III. cap.  
IV. membr. II. subf. II., § 3.,  
IOH. EVD. SCHMIDIVS de Fi-  
dei. plane non obl. scft. II. cap. I.  
p. 28., CAR. FRID. ELSAES-  
SER Obs. iur. Erl. part. III. p.  
68., conuenire cum analogia  
legum romanarum, fatebuntur  
omnes, qui curate ponderabunt  
L. 1. § 4. D. de verb. abl., L. II.  
§. 1. D. de const. pec. L. 34. C. de  
don. Caeterum displicebit for-  
sitan haec nostra hypothesis

iis, qui cum ANDR ALCIA-  
TO Par. lib. V. cap. 12., GVL.  
FORNERIO Sel. lib. III. cap. II.,  
ac FR. HALOANDRO phra-  
sin, in cit. lege obuiam, omni-  
no non dictam putant pro non  
omnino. Quid? quod nec ii no-  
stram doctrinam adoptabunt,  
qui, dictam loquutionem ab-  
solute negare, ostendunt. In-  
ter hoc eminent Ios. AVERA-  
NIUS Inter. iur. lib. II. c. 3.  
FR. CONNANVS Comm. iur.  
Ciu. lib. VI. cap. 6., FR. CAR.  
CONRADI Diff. de Fidei. in  
maior. summi adbib.  
t) CLAUDIANVS in Ruf. lib. I. 36.



semper adbaerens  
infelix humili gressu comitatur egestas.

## VI

*Pro eranda nostra causa rationem praebet beneficium excusonis;  
quod sua natura iniquum esse, docetur, contra  
communem prudentum opinionem.*

Fit hoc omne ob interpretationem benignorem et pleniorum priuilegiorum huiusmodi, ut priuilegiati tanto plus sentiant humanitatem et beneficium principis, quos parum iisdem iuuari contingere, nisi eadem fideiussoribus quoque et intercessoribus priuilegia concederentur. Ita suam mentem de priuilegiorum extensione explicat splendidissimus quondam G. ACACIUS ENENCKEL, L. B. HOHENECIVS U. Ita et egomet sentio de iure singulari, quod infelix debitor nanciscitur literis respirationis. Ut ita sentiam, me et haec meditatio allicit, quae rationem non temnendam praeberet pro tuenda caufsa fideiussoris nostri.

Si creditori praedibus praediisque, secundum veterem formulam x), cautum est: libera nihilominus olim erat electio penes creditorem, num vellet conuenire reum principem? num fideiussorem? num possessores hypothecarum y)? num simul eodem tempore? num diuisis actionibus z)? num vti iure variandi, atque, uno electo, transeundi ad alium a)? Nec fauebat igitur fideiussoribus priscus iuris Quiritium rigor, qui, vt perhibet Sext.

- u) G. A. ENENCKEL L. B. HOHENECIVS de Priuile. lib. II. cap. 4. n. 128.
- x) De hoc euoluas E. BRISSENIUM de Form. Iur. Rom. lib. VI. 76.

- y) L. 2 et 5. C. de fideli.
- z) L. vlt. C. de obl. et aet., L. 3. 6. vlt. D. de duob. reis, L. 5. §. 2. D. de pign. et hypoth.
- a) L. 23 et 25., L. vlt. C. de fideli. L. 56. D. mand.

Sext. Caecilius I<sup>C</sup>tus b), fidem in negotiorum contractibus, maxime in pecuniae mutuatitiae usu et commercio, sanxerat. Nec iis propiti<sup>i</sup> erant veteres Graeci c), nec Germani d). Primus, sero forsitan dicis, constituit diuus IVSTINIANVS e), vt prius debitorem principem conueniremus, quam nomina expungenda a fideiussoribus peti possent. Introducinge hoc beneficio, quod excus<sup>ionis</sup> vocant, Imperatorem ante oculos habuisse, dicunt, aequitatem, quam et naturalium f) et ciuilium g) iniurium periti defendunt. At manes diu IVSTINIANI, precor, mihi parcant, si aequitatem, huic beneficio adscriptam, egomet plane nullam agnosco. Ut enim silentio omittam, creditores, tali beneficio fideiussoribus indulto, saepius incidere in calamitatem, exitialem non raro, quam me hercule? auertissent a suis fortunis possessionibusque, si modo fideiussor illicet compulsus fuisset ad nomina dissoluenda. Id autem urgebo. Conspicitur aliquid diffiden<sup>tiae</sup> in animo erogantis nummos, si praedes exigit. Res ipsa loquitur, creditores, qui sine fideiussoribus credere nolunt, magis hos spectare, quam personam debitoris, necessitate pressi, cuius vel ruinam metuant, vel moram. Quo magis fides in ciuitate crescit, indulta creditoribus

D 2 po-

- b) A. GELLIVS Not<sup>t</sup>. Att. lib. XX.  
cap. I.
- c) Apud hos notum erat prouerbium Ἐγγένειον τίκται δ' αρνητής, spomnde et noxia praefabo erit. Legas AEG. MENAGII Comm. ad Diog. Laertium lib. I. Segm. 73.
- d) Horum fertur vetus paroemia den Bürgen muß man würgen. Vid. I. SCHILTERI Exer. XLVIII. 21. et F. F. EISENHARTI Gr. der d. Rechte
- e) in Sprüchbl. p. 326.
- f) Nou. IV. Cap. I.
- Euoluas, vt alios taceam, T. GOTTL. HEINECII Element. Jur. Nat. lib. I. cap. 13. §. 376.
- g) Conferas R. BACHOVIVM ad Treutl. vol. II. Disp. 28., th. 5. lit. e et d., G. FRANTZKIVM lib. I. ref. 12., n. 2., WOLFF. A.D. LAVTERBACHIVM Disp. Acad. vol. I. Disp. 15. §. 10.

potestate conueniendi fideiussorem, omisso debitore principe: eo magis illa decrescit, si tunc demum, quando constat, debitoris facultates non sufficere delendis nominibus, fideiussorem in ius vocare permitimus creditori, multis impensis ac sumtibus emuncto, longaque circummissione defatigato. Habere enim, ecquis neget, bonorum excussionem suos anfractus, itemque nasci e lite? Quaeget sine dubio fideiussor, facultatibus debitoris obaerati exfussis in ius vocatus, an creditor litem aduersus debitorem principem ordinauerit rite? an satis opportune exegerit creditam pecuniam? an excusserit debitorem ad peram et saccum? Vrgebit, summam damni esse minorrem; audiendum sese; excussionem legitima ratione non esse factam. Ita vero litibus mouendis transibit vita: cui Parca non decreuit parcere, creditor, finem litis non expectans, descendet in sepulchrum abunde beatus, quod heredes sui ipsius tumulo virtutem, tota vita ignotam, imo exulem, tanquam familiarem inscribant, ac in frigido lapide liberalis, placidus, rediens in gratiam cum debitore laudetur, qui nunquam fuit; heredes motam controversiam de nummis restituendis continuabunt; illam vix finiet sera nepotum posteritas. Num quaeſo has molestias ponderans adſirmabis, aequitate niti hoc excusionis beneficium, quod lites gignit, fidem ciuium labefactat, ditionibus ſuspicionem iniicit, quemuis bonum patrem-familias allicit, vt feruet potius in arca nummos, quam ſe fuiusque opes ambiguo litis euentui olim exponat? Non tam ſpero, quam confido, fore, qui, iniquitatem in beneficio excusionis latere, mecum adſirmes, adſerasque, omnino e re ciuitatis eſſe, vt beneficium tam noxiū funditus euellatur. Tamdiu interim, quam diu princeps, ad iuuandam artem legitimam natus, id non tollit, hoc beneficio uti poſſunt fideiussores omnes, etiam iſti, qui ſu-

am

\* \*

am fidem interueniente sacramento obstringebant. Nec  
curo, quicquid secus sentientes ANDR. GAILIVS h),  
MATTH. BERLICHIVS i), GVIL. LVDWELLVS k), ANT.  
HERINGIVS l), IOH. RONCHEGALLVS m) aliique repone-  
nunt. Constat enim inter omnes, iuramentum sequi  
naturam pacti, cui adiicitur, nec operari, ut illud dege-  
neret. Quid? quod fideiussor promissione, sacramento  
vallata, id duntaxat egisse intelligitur, ut interposita fi-  
deiussio esset iusto firmior. Nec renunciabat is per tale iu-  
ramentum excusione beneficio, quod ipso iure competit.  
Dum igitur fideiussor actione personali conueniri nequit,  
quamdiu nescimus, facultates debitoris obaerati non suf-  
ficere ad delenda nomina, sed quamdiu potius spes super-  
est, ab ipso debitore consequendi nominum solutionem;  
dum insuper, vsque dum durat tempus, quod cantant lite-  
rae respirationis, codicillis principis exaratae, experiri  
non possumus, quid valeant debitoris humeri, quid fer-  
re recusent: vides literas, de quibus est fermo, saltim  
per consequentiam proficuas esse fideiussoribus pro debito-  
re, eiusce generis literis munito, fidem interponentibus.  
Si hos enim unus alterue creditor actione instituenda in-  
terpellat, debitore nondum in ius vocato: mouebunt non  
modo quarelitas de iniuria ipsis illata n), sed etiam debito-  
ri denunciabunt item, potentque, ut aut debitor vel ipsos  
defendant, vel soluat, aut index decernat, ut bona debi-  
toris veniant sub hastam praeconis. Iurauerim, quod,

D 3

qui

- h) A. GAILIVS lib. II. Obs. 27. cap. XXVII. p. I. n. 45.  
n. 22.
- i) M. BERLICHIVS part. II. concl. 22. n. 23.
- k) G. LVDWELLVS Exerc. ad Inf. XII tb. 8. litt d
- l) A. HERINGIVS Tr. de Fidei.
- m) I. RONCHEGALLVS ad L. 3 §. 1. de duobus reis.
- n) L. 15. §. 33., L. 19 D. de iniur., L. 31. §. ult. D. de rebus auct. ind. poss.

qui sibi impetrantis literis respirationis prospexerat, ne a creditoribus intra certum tempus bona excutiantur, debitor tutelam fideiussoris suscipiens obiciat, fore, ut ipse, post modicum temporis intervalium reuertens ad meliorem fortunam nummos creditos restituat. Urgebit literas respirationis, quae tempore intermedio impedirent publicationem debitoris bonorum possessionumque instituendam. Nemo, si modo libera dantur suffragia, damnabit hanc defensionem, qua et se ipsum, et fideiussorem debitor infelix tuerit aduersus creditorum insultus. Ut eam non reiiciamus, eo magis opus est, quo certius est, fore, ut, si iudex precibus fideiussoris, beneficio ex-  
cussionis adhaerentis, non annuit, sed si potius ei iniungit solutionem, fideiussor querelas moueat, quod non modo in-  
uerso quasi ordine ante debitorem principem lite pulsatus, sed etiam duriori interpretatione ad severitatem id  
productum esset, quod antea in debitoris utilitatem, in-  
dultis literis respirationis, concessum fuerat. Talem ex-  
tensionem et aequitas damnat, et ei

*ratio obficit, ratio manifesta reclamat,*

camque tandem prohibent leges, quae volunt iubent  
que ut principis beneficia, inter quae omnino eminent  
respirationis literae, ita interpretetur, ne laedant iu-  
ra tertii.

Equidem scio, eruditos non paucos ire in alia omnia,  
hac ratione ducllos, quod creditores ea propter admitte-  
re soleant fideiussores, ut ipsis de pecunia diu debita, et  
vel a fideiussoribus recuperanda, cautum fore, puta,  
quando debitor obaeratus soluere desinit. o). Id ipsum, e  
secus sentientium iudicio, accidit, si incipit duratque  
tempus, quod memorant literae respirationis. Mirum  
igitur

e) §. ult. I. de replic.

igitur non est, si iidem vsum literarum, de quibus sermo, fideiussori denegant aequa ac ipsum damnari volunt, ut illicet pro debitore soluat. p) Vellem vero, quorum mentibus hic scrupulus insidet, vellem, ut cogitent, ipsorum adassertionem plausu tunc demum excipi, si et magnitudo aeris alieni, quod egenus debitor contraxerat, nota, ac apud omnes peruulgata sit, et si insuper quiuis, etiam rerum incuriosus, intelligit, nec nomina a debitore dissoluui posse; nec adesse bona, in quae creditores mittantur. Num vero, ita vos, qui insurgitis, interrogare licet, num durante tempore, cuius meminerunt literae respirationis, creditores iure adfirmabunt, facultates debitoris obaerati parum sufficere ad expungendum aes alienum? Num iidem, induciis nondum elapsis, contendere possunt, prorsus deficere media sufficientia ad nomina dissoluenda? Nullus putarem. Fatentur enim rerum experientia edocti, literas hasce illi duntaxat debitori concedi, qui et possidet bona fortunasque amplas, et, quem futurum esse, quiuis creditorum non tam sperat, quam confidit, fore, ut, post modicum temporis interuum, revertens ad frugem se liberet a magno aere alieno. Quamdiu durat tempus induciarum: dici nequit, solutionem prorsus deficere, id quod tamen secus sentientes erronee supponunt. Quae vero quum ita sint: sequitur, obiectiōnem aduerſariorum fundamento plane ruinoſo nitit, ac, tempore induciarum nondum elapſo, creditoribus integrum non esse, fideiussores conuenienti nondum excusis facultatibus debitoris, qui a principe nactus fuerat literas respirationis.

## VII

p) Eorum mentionem innicit r. H. a BERGER Diss. de His, quae circ. praefl. mor. false traduntur, §. 22.

## VII

*Causam fideiussoris nostri tetur argumentum desumptum  
e L. 3. §. 1. C. de usur. rei iud.*

Fideiussoris nostri causam defensurus illorum sententiam subscrivo, qui, dum litigiosa regna peruidunt, et, quae quotidie emergunt, negotiis fedulas cogitationes impendunt, qui, inquam, iurisprudentiam non tam mole, quam potius penuria legum laborare, opinantur. Me interim, pro defendenda hac causa, non destitui, laetor, rationibus, haud e cuiusdam dictantis commentario- lis tanquam secluso quodam fonte, quam potius e legum analogia hauriendis. Nimirum leges admittere latiorem interpretationem, nulli incognitum est, quoties aut proprietas verborum restrictionem non patitur, aut de contraria legislatoris voluntate haud constat. Id verum esse, agnouit diuus IVSTINIANVS. Scilicet ante ipsius tempora inualuerat consuetudo, ut non statim, ac lata sententia in rem iudicatam transferat, executioni locus esset, sed ut potius leges in actionibus personalibus q) humanitatis gratia spatium quoddam temporis indulgerent confessis condemnatisque, quo id, quod iudicatum fuerat, pae- stant r). Laxamentum hoc ab initio triginta dierum fu- iffe,

g) Non in actionibus in rem.  
Nam in his statim fit execu-  
tio, et reus illicet restituere  
cogitur rem alienam, quam  
possidet, ni forte tempus re-  
stituendi causa petierat absque  
tergiversatione. Quo casu iu-  
dex certum terminum ei praefiget,  
intra quem restituant, ac  
interim iubebit datis fideiussori-  
bus cauere de litis aestimati-  
one, si intra statum tempus  
non restituerit, §. 3. l. de offic.

iud. Sin manifesta est rei fru-  
stratio: ipsi hoc spatium conces-  
di non debet, sed res statim ma-  
nu militari auferenda erit, L. 68.  
D. derei vind. idque propter la-  
tam sententiam, qua perditur  
beneficium soluendi, quod in-  
tereffit. Euolias PETR. COSTA-  
LII Aduers. part. II. ad cit. L.  
68, et ANT. PEREZII Prael. in  
Cod. ad L. 54. de usur. rei iud.  
r) L. Vn. C. Tb. ced. tot. L. 16.  
§. 1. D. de comp.

iffe, veritati accedit s). Postea vero spatium duorum mensium iudicatis indulgebatur t). Caeue tamen existimes, duos hos menses ad iudicatum soluendum praecise inductos fuisse. Ex iusta enim causa protrahi quandoque poterant. Id ipsum dilationis spatium veteres considerabant instar beneficii mere personalis. Quare soli duntaxat debitori, non autem eius fideiussoribus, dabatur u). At quum id non modo durum videretur, sed, quum insuper fideiussor, statim ad solutionem compulsus, reum, pro quo interposuerat fidem, ad reddendos nummos solatos cogere posset, et hac ratione temporis beneficium, seo indultum, euaderet inutile: IVSTINIANVS spatium bimestre protrahebat ad quatuor menses, idque indulgebat reis non minus, ac fideiussoribus. Audias imperatorem ita edicentem x),

*Et quum antiquitas pessimo exemplo reis quidem condemnatis laxamentum duorum mensium praestabat: fideiussores autem eorum eodem vti beneficio non concedebat, vt licet victoribus, relictis propter legem condemnatis personis, a fideiussoribus eorum, vel mandatoribus statim pecunias, vel res in condemnatione positas exigere: huiusmodi acerbitas resigentes, sanctius quadrimessires inducias, quas dedimus condemnatis, etiam ad fideiussores eorum, et mandatores extendi, ne legi fiat derogatum. Cum enim interuentor soluere compellebatur, et ipse reum coercedebat ad iniuritam solutionem, nullum condemnatus habebat sensum nostrae*

E

s) Elucere id: opinor, e notissima legum XII Tabularum formula, Aeris confessi, rebusque iure iudicatis triginta dies iusti suntio. Meminit illius A. GELLIUS Noct. Att. lib. XV. cap. 33, lib. 20, c. 3. Huc etiam spe-

stant L. 4, 5, 7, D. de re iud. lungas, si placet, IAN. VING. GRAVINAM ac Orig. Iur. Ciui. p. 247.  
t) L. 2. C. Th. de usur. rei iud.  
v) L. 1. D. iudic. solui.  
x) L. 7. C. de usur. rei iud.



*nostre humanitatis: quia per medium fideiussorem statim pecunias persoluere compellebatur.*

Haec sanctio, dici vix potest, quantum iuuet cauissam, cuius patrocinium suscepit. Qui enim, vt decet, paulo euratus ponderat rationes, quibus legumlator allicitus fancierat, vt quadrimestres induciae, debitori obaerato indultae, etiam ad ipsorum fideiussores et mandatores extenderentur: is, cum mente diu **IVSTINIANI** conuenire, adfirmabit, vt ob dictam rationem debitoris fideiussori indulgeamus exceptionem literarum respirationis. Nullum enim sensum humanitatis principis habebit debitor, literis respirationis ornatus, si fideiussorem excludas ab usu exceptionis, de qua loquor. Qui enim litem sibi a creditoribus moueri denunciabat, et pendebat nummos, pro quibus fidem interposuit, fideiussor debitorem iure compellet, vt soluat. Qua actione? Ita interrogas dubio procul. Indicabo eas. Cogita fideiussorem, post factam de lite mota denunciationem, sciente et tacente debitore, aut soluentem, aut pecuniam offerentem, consignantem, in iudicio deponentem, aut alia ratione obligationem debitoris obaerati extinguentem. Dubio carer, quin talis solutio contineat merum mandatum, tacita voluntate contractum. Is enim, qui fieri patitur, quod prohibere potuerat, habetur instar mandantis y). Quare hoc nomine fideiussor configere poterit ad mandati iudicium, vt recuperet nummos, quos pro nostro debitore pendebat z). Debet idem iudicium ferri, si talis debitor solutionem ratam habeat, sibique acceptam a). Sin vero fideiussor pecuniam soluebat pro debitore aut ignorantе, aut absente: e tali negotio gesto descendet actio negotiorum

y) L. 6. §. 2., L. 18 D. mand. a) L. 6, D. de reg. iur.

z) §. 6. I. L. 4. D. de fidei.

rum gestorum b). Nolo mihi obicias, obaeratum debitorum, si ipsum fideiussor vel illa, vel haec actione conuenit, sese tueri posse aduersus auctoris molimina, exceptione literarum respirationis opponenda. Adesse enim, ecquis neget, nouum creditorem, pura, fideiussorem, intra tempus induciarum pro debitore soluentem, cui hic sese obstringebat tempore induciarum? Adesse, ecquis in dubium vocet, debitum post datas respirationis literas recens contractum, cui restituendo acriter insistit creditor, puta, fideiussor? Fatentur autem viri, de iurisprudentia optime meriti c), debitorem non vti beneficio principis aduersus istos creditores, qui post impletatas respirationis literas superueniebant. Quum enim princeps, paupertatis commiseratione inducias codicilis gratiose indulgens, attendat saltim illos creditores, qui adfuerunt tempore dilationis indultae; quum insuper eiusce generis literae contineant clausulam tacitam, rebusificantibus: pater, literas, de quibus sermo, extendi non posse ad credita futura. Itane, haec momenta curate ponderans, clamitabis, infligi egeno debitori damnum non leue, si ipsius fideiussori demas usum exceptionis literarum respirationis, quum tamen hae literae velint, vt ne damnum subeat? Itane, clamare pergis, interpretatione iusto duriori literas respirationis deduci in seueritatem, quum tamen pro debitoris utilitate concederentur? Omnino. Si ergo egenus debitor sensum humanitatis principis habere debet: opus oportino erit, vt, quod dicta sanctione praescribebat diuus IVSTINIANVS, ad nos strum

## E 2

b) L. 20. §. 1. D. mand.

c) Inter eos nomen profitentur  
ANT. FABER in Cod. lib. I.  
tit. IX. def. 1, 16, 20., G. A. de  
EREVDEEBRG l. 6. tit. VII.concl. 36. ANDR. HOMBORG  
GIVS Diff. de Litt. Mor. cap.  
3. §. 14., IAC. MENOCHIVS  
de Arbitr. Iud. lib. 3. cas. 29.  
n. 24.

strum fideiussorem transferas, dicasque, dilationes, quas princeps codicillis gratiose indulgebat, etiam ad debitoris egeni fideiussores aequae ac mandatores esse extendendas, ne principis iussui fiat derogatum.

## VIII

*Docetur, fideiussoris nostri causam et aliis rationibus firmari.*

At quid quæso tricamur, cum supersint plura alia argumenta, quibus nititur suscipiendum patrocinium fideiussoris nostri? Nimirum tametsi id, quod in diem debetur, ante diem a debitore volente solui possit, præferunt quando terminus solutionis, non tam creditoris, quam potius debitoris gratia, sit adpositus d); ac tametsi in quavis obligatione in diem præfens obligatio reuera subfit e): tamen plus, quam debetur, sine controvërsia petit is, qui ante diem petit. Mirum igitur non videtur, si veteres cum, qui ante elapsum diem petit, nihil age-re f), adfirmant, voluntque, ut instar importuni et onerosi creditoris habeatur g). Quum vero mos sit, terminum solutionis in codicillis, de quibus loquor, gratiose indulitis prorogare, quumque proin statum tempus veniat demum finito tempore, in dictis literis memorato: pater, quod is, qui animo gestir, debitorem obaeratum, intra inducierum tempus, instituenda actione ad solutionem compellere, iure repellatur exceptione plus petitionis. Poena plus petitionis, scitis iuris romani defini-

ni-

d) L. 70. D. de solut.

f) L. vn. in fin. D. qu. dies vñsc.

e) L. 46. D. cœ verb. obl. Addas fr. leg.

GEORG FRANTZK II Exerc. g) Cap. vn. X. de plus petit.  
Iust. X. qu. 14.

nita h), tueaturne in iudiciis germanicis locum, nunc nullus dijudico? Dixisse, satis erit, quod, si petitor, hinc etiam, meo quidem iudicio, creditor, nondum finito dilationis tempore, debitorem interpellans plus tempore petierit, quod, inquam, moribus nostris i) reus conuentus ab obseruatione iudicii, seu vt in scholis loquuntur, ab instantia absoluatur, ac actor insuper in expensas condemnetur, salvo ipsi iure agendi, quandocunque dies solutionis dictus prorogatusue aduenerit.

Quo iuris remedio, quod debitori, intra inducium tempus actione conuento, denegari nequit, paulo penitus considerato animum sic induco, idem illud iuris beneficium haud denegandum esse debitoris fideiussori. Iure enim receptum est, ac moribus inualuit, vt non prius actione fideiussorem conuenire possimus, quam intuitu debitoris primarii venerit dies solutionis k). Habet istius obligatio e promissione debitoris primarii conditionem tacitam, et dies solutionis praefinitus prorogatusue etiam in fideiussione tacite prorogationem obtinuisse, dubio caret. Quamdiu igitur debitor non debet, seu, vt dilucius mentem aperiam, quamdiu statum tempus non venit, id quod autem nondum finito tempore, in literis respiracionis memorato, non venisse, quiuis largitur: tamdiu etiam creditor, fideiussorem intra respiracionis spatium, codicillis gratiose datis indulsum, conueniens exceptione plus tempore petitionis repellitur.

E 3

Nec

- b) Eam restitutam debemus IAC.  
CVIACIO Obs. Iur. Rom. lib.  
XII obs. 21.  
i) De his, vt alios omittam, te-  
flantur PAVL. CHRISTI-  
NAEVs Vol. I. Dec. 266. et  
Vol. II. Dec. 157. IOACE. k)

HOPPIVS Comm. ad Inst. tit.  
de aſt. §. 33. PAVL. VOPTI-  
vs Comm. ad Inst. tit. eod. §.  
33. n. 2. GEOF. SCHÜTZI-  
VS Syn. Inst. tit. de aſt. lit.  
x et y.  
L. 57. D. de fideiū.

Nec regeras, leges, quae huius exceptionis mentionem iniciunt, loqui duntaxat de debitore obaerato, non de huius fideiussore. Ut enim non dicam, dubium tuum pugnare cum omnium optima ac aequissima naturae lege, quae iubet, ut fideiussor datus non sit deterioris conditionis, ac ipse debitor obaeratus. Id vero accidere, nullus negabit, si fideiussori beneficium ordinis inuertamus, eumque excludamus ab exceptione plus tempore petitionis, puta, quando ab ipso, intra dilationis spatium debitori concessum, creditores vrgent restitutionem fortis vsuraru[m]que; qu[am] tamen debitori concedamus dictam exceptionem. Id vero monuisse, e re nostra erit. Scilicet in quibusuis obligationibus in diem, qualis etiam deprehenditur, quando debitor a principe codicilos respirationis nanciscitur, terminus solutionis vniuerscu[us]que promissor[is] 1), ac proin etiam fideiussoris gratia adiicitur. Nam et hunc non secus ac debitorem ipsum promittere, seu adpromittere, constat, eumque ea propter dici adpromissorem, quoniam idem promittit, quod aliis debet, obligaturque stipulatione. Quae vero cum ita sint, ac induciae quinque annorum a principe induluae contineant terminum, cuiusuis promissor[is] gratia prorogatum: patet, etiam fideiussoris intuitu plus tempore peti m), puta, si vnuis alterue creditorum prius fideiussorem in iudicio conuenit, quam praeterlabeatur tempus in literis respirationis memoratum. Ergo dum fideiussor nec vnu exceptionis plus tempore petitionis excludi poterit: et vel ob hoc momentum, debitoris fideiussori exceptionem literarum respirationis proficiam esse, qui uis fatebitur, inprimis si in mentem reuocat regulam, quae

1) L. 17. D. de reg. iur.

m) Conferas, si placet, ANT.

HERINGIVM l. c. cap. XXXI.

n. 30.

quae iubet n), vt beneficium principis ita interpretemur,  
ne tertius inde laedatur.

## IX

*Pro tuenda fideiussoris nostri causa aliae rationes  
adducuntur.*

Vt plura argumenta anxius conquiram, paginarum ratio vix permittit. Temperare tamen mihi nequeo, quin subiungam argumentum, quod vrgebant iam alii antecesores pro oranda fideiussoris nostri caussa, et iure vrgebant o). Fideiussionem tanquam obligationem accessoriām, sciunt omnes, omnibus illis priuilegiis ac iuribus munitam esse, quibus debitum principale gaudet. Quare etiam, imminuto debito principalī, imminuitur fideiussoris obligatio. Nequit enim fieri, vt plus sit in obligatione accedente, quam est in primaria. At literae respirationis, quibus debitori, fortuna reluctante ad summam egestatem redacto, princeps subuenire solet, eatenus minuant obligationem debitoris egeni, eatenus statum tempus prorogant. Sicuti namque veteres proverbio, bis dat, qui cito dat, innuebant, illum plus soluere, qui nummos reddit iusto celierius: ita etiam, dum contrarium est contraria solutio, constat, istum, qui tardius soluit, minus soluere p). Nam creditori adimit emolumen-  
tum intermedii temporis, quod percipere potuisset. Quum vero, de quibus loquimur, literae respirationis minuant debitum respectu egeni debitoris, qui, nondum finito tempore in talibus literis memorato, ad nomina delenda cogi nequit: paret, eadem ratione minui fideiussoris

m) L. 43 pr. D. de vulg. et pup. IOS. HARTLEBENII Med. ad  
fuff.

o) Ut alios taceam, adeas FR. p) §. 5. I. de fideiuss.

soris obligationem. Si in dubium id vocas statuisque, fideiussorem cogi posse, ut arte elapsum dilationis spatium fortè cum usuris soluat: sequeretur, plus eum debere, quam debet is, pro quo fidem interposuerat. Talem vero fideiussoris conditionem, iusto duriorem, aduersam esse legibus, omnes sciunt. Tu, ad cuius tribunal hanc defensionem deferimus, iudica, annon et ob hanc rationem fideiussor debitoris admitti debeat ad usum exceptionis literarum respirationis?

Claudat tandem patrocinium, quod suscepi, et vel haec ratio. Si fideiussor, intra dilationis tempus in iudicio conueatus, excideret exceptione literarum respirationis: id fieret ratione morae aut debitoris principalis, aut ipsius propriae. At neutrum dici potest. Debitor enim non est in mora. Nam virtutis principis beneficio, quod vult, ut tutus sit ab exactione fortis, usque dum industiae finitae sunt. At nec fideiussor committit moram. Nam ante debitorem principalem ipsius bona exuti nequeunt. An hoc momentum curate ponderans nobiscum audacter adfirmare, erubescis, exceptionem literarum respirationis debitoris fideiussori proficiam esse? Nullus crediderim.

## X

*Primarium argumentum, quod proferunt secus sententes,  
eliditur.*

Pro aequa fideiussoris nostri causa peroranda plura verba nullus proferam, ne diffidere innocentiae videar, aut iniustum suffragium ambire. A lectore iusto nihil, nisi quod aequitas praescribit, expectamus, et nos causa perorata cadere non possumus, nisi et iustitia cadamus. Caeterum sicut nequit veritas succumbere, bene tamen periclitari potest: ita etiam nostra causa mouetur  
qui-

quidem, non autem obruitur vnda aculeatorum argumentorum, quae proferri, vides, a IVST. HENN. BOEHMERO q), MATTH. BRVNO r), IOH. GEORG. ESTORE S), HVG. DONELLO t), VAL. FRANCO u), SIGISM. FINCKELTHAVSIO x), HELF. VLR. HVNNIO y), HENN. HAMMELIO z), AD. LAVTERBACHIO a), GVIL. LVDWELLIO b), ANDR. RAVCHBAR c), aliasque. An reprehendendus igitur sim, nescio, si obiter pauca quedam aduersariis reponam, et thesin meam ab omni dubitatione purgem dubiis remouendis, quibus arx contrariae sententiae defendi posse videtur?

Primarium, si recte iudico, argumentum secus sentientes ponunt in eo, quod exceptio literarum respirationis a principe indulzarum sit duntaxat exceptio personalis, ac proin non secus, ac quaevis alia beneficia personalia d), ita etiam et haec exceptio nec debitoris egeni personam egrediatur, nec fideiussoribus proficia esse debeat. Dubium hoc an miror? an timesco? Animus, ignavia haud corruptus, ab ardua semita defendendi suam

F  
cau-

- q) I. M. BOEHMERVS *Exerc. ad Pand. XLVI. cap. II. §. 10.*
- r) M. BRVNVS *Tr. de Cess. Bon. Quaest. VIII pr.*
- s) I.G. ESTOR *T. Rechtsq. Part. II cap. 34. §. 3725.*
- t) H. DONFILLVS *Comm. Iur. Ciu. libr. XXII Qu. 21.*
- u) V. FRANCVS *Tr. de Fidei. cap. III n. 147 seq.*
- x) S. FINCKELTHAVSIVS *Diff. de Praefc. Mor. tb. 17.*
- y) H. V. HVNNIVS *ad H. Treutl. sel. disp. vol. II. disp. 24. q. 27.*  
Caeterum non obscure ienten-
- tiām is deserit, et in nostra castra transire videtur *Diff. de Mor. Dilat. §. 48.*
- z) H. HAMMELIVS *Tr. de Act. cap. I. n. 7.*
- a) A. LAVTERBACHIVS *Diff. de Benef. Resc. Mor. cap. VI. §. 17.*
- b) G. LVDWELLIVS *Ex. XVII. tb. 4 lit. b.*
- c) A. RAVCHBAR. P. II. q. 7. n. 36.
- d) L. 7. D. de exc., L. 14. D. de re iud., L. 68. D. de reg. iur.

causam non illicet deflebit. Error, pace secus sentientium dixero, latet in eo, quod, naturam et indolem exceptionis literarum respirationis non nisi mere personalis esse, opinantur. Elegans me hercule! est coniectura REINH. BACHOVII e), IOH. HENR. BERGERI f), MICH. FRID. LEDERERI g), EM. FRID. SCHROETERE RI h), quibus hic diuinare dedit magnus Apollo, nostram exceptionem locum tenere inter exceptions, quas vocamus in rem scriptas. Ut in tantorum virorum sententiam eam, me alliciunt non tam ea, quae paulo ante de indole huius exceptionis protuleram, si creditores indulgent inducias, quam porius aliae rationes magni ponderis. Scilicet hoc beneficij singularis genus non cuius debitori, sed isti duntaxat indulgeri solet, qui citra culpam ex infortunio, aliquo casu fortuito ad incitas redigebatur, adeo, ut sine maximo incommmodo nomina illicet delere nequeat. Respicit igitur non tam debitoris personam, quam potius ipsius patrimonium ac actiones contra ipsum mouendas, ut statum tempus prorogeret. Patescit id ex hac formula, literis respirationis inferi solita, daß er und seine Güter innerhalb so und so vieler Zeit von denen Creditoribus keinesweges beläßtiget werden solle. Descendit ergo haec exceptio e personae conditione; rem illius concenrit; ea propter non mere personalis est, ac proin proficia esse debet fideiussoribus non quidem directo ratione priuilegii, conspicui in literis respirationis, quam potius ratione ipsorum nominum, quae intra dilationis tempus exigi nequeunt. Scire insuper potuissent aduersarii, adesse

e) R. BACHOVIVS *Not. ad H.* g) M. F. LEDFRER *Diff. de Iur. Treutl Disp 24 tb 4 lit e Quinq § 71*

f) I. H. a. BERGER. cit. *Diff.* h) F. F. SCHROETER *Diff. de §. 23. Quinq. sect. 13.*

esse omnino praesumtionem legitimam, quod dilationes, super debitum principale induluae, etiam super obligationem accessoriā fieri intelligantur i). Fideiussoris vero obligationem, ecquis neget, esse obligationem accessoriā? Si ergo dicta praesumtio legibus nittitur: patet, quod, quae debitori competit, exceptio literarum respirationis etiam fideiussori indulta esse intelligatur. Quid? quod heredes et fideiussores quā extensionem iurium singularium sibi aequiparari solent. Sicuti vero quiuis non sibi duntaxat, sed heredibus quoque prospicuum voluisse praesumitur k): ita etiam, qui ab importunis creditorum efflagitationibus immunis esse cupit, usque dum intra dilationis spatium conquirendis opibus desideria creditorum explorare potest, debitor, literas respirationis submissae desiderans, et sibi et benignis fideiussoribus eas acquirere velle praesumitur. Accedit etiam hoc, quod princeps non prius eiusce generis literas concedat, quam cognoverit, creditores, ni omnes, saltim plurimos, ratos habere et sibi acceptos literas, de quibus est sermo. Quae vero cum ita sint: opus omnino erit, ut dictae literae effectum differend' actiones creditorum nanciscantur, in quorum personis alioquin contra dilationum naturam nihil forent operaturaे. Et quem quaeso fugit, principum beneficia ita interpreanda esse, ne tertio inferant damnum l)? Annon vero atria principum aequae ac iudicium tribunalia personarent quotidiani querelis ob iniurias illatas, si, quod volunt aduersarii, si, inquam, exceptionem literarum respirationis non nisi mere perso-

F 2

nalem

i) Arg. L. 5. §. 1. D. quib. mod. pign.  
vel hypoth.

k) L. 9. D. de probat.

l) Hanc doctrinam legibus suffragantibus tradunt C A R. T A-

FIA Comm. in D tit. de Conf.  
Princ. cap. I n 64. et I. H.  
BOEHMERVS Exerc. ad Dig.  
XIV. §. 12.

nalem interpretetur, ac dicamus, eam fideiussoribus proficiam haud esse? Nescio, an vrgeam, quod aduersariorum doctrina pugnet tam cum aequitate, et illa, quam natura inter omnes peraeque constituit, cognatione, quam in primis quoque cum lege scripta, quae vult iubetque, ut creditores se moratos, et cum efficacia benignos, et cum instantia humanos praebeant, nec acerbos exactores se praestent m)? Sane haec sententia iuris naturalis, haec opinio iuris civilis, vtraque aduersarios velut praeiudicio quodam damnat.

## XI

*Adfertur vltior eiusdem argumenti refutatio.*

At quid audio? Aduersarii nostri, ut defendant doctrinam nobis aduersam, reponere pergunt, exceptionem personalem non induere naturam exceptionum in rem scriptarum, ni sanctio legis civilis addiderit qualitatem, vt eadem exceptione vii etiam posset tertius, veluti fideiussor. Legem vero ciuilem, quae tali qualitate ornat nostram exceptionem, deficere, vociferantur, adeoque nostris rationibus non adduci, ut adfirment, nostram exceptionem adscribendam esse exceptionibus, quae sub nomine in rem scriptarum exceptionum veniunt. Non leuis me hercule! nodus, et in quo, quo plures veterum iureconsultorum consulas, minus extrices, magisque mireris, ut rem inuoluant. Ne in illo dissoluendo longior sim, quam licet, nullus vrgabo, illis temporum periodis, quibus leges iuris civilis condebantur, respirationis codicillos non ea, qua hodie, ratione exaratos esse, ac proin nec fieri potuisse, vt iura ciuilia disertis-

VER-

m) L 33. D. de usur.

verbis nostræ exceptioni darent naturam exceptionum in rem scriptarum. Id autem mouebo, ne silere videat. Dubio caret, personales tam actiones, quam exceptiones qualitatem actionum et exceptionum in rem scriptarum iure ciuili tunc nancisci, si id suadeat publica

*Vtilitas, iusti prope mater et aequi.*

At vero nec aduersarii negare poterunt, quod, non quae ingenii hominum committitur, imaginaria et cerebris natura pro motu et affectione animi cuiusque, sed euidens et sponte se oculis ingerens aequitas suadeat, ut fideiussoribus profint exceptiones, quibus egenus debitor vti potest. Si hoc vobis, o me! in mentem venisset; si aduersariis insuper, eundem aequitatis sensum velle, ut fideiussor auxilium quaerat a moratori exceptione, qua se defendit debitor intra dilationis spatium contra creditorum insultus: diceretis, iurare auferim, diceretis, doctrinam a me traditam, puta, de qualitate exceptionis in rem scriptae nostrae exceptioni addenda, conuenire cum analogia iuris ciuilis aequi ac cum moribus germanicis, quos quippe finere constat, ut noua qualitas, cum scitis iusti ac aequi conueniens, et actionibus et exceptionibus infarciatur.

Attronitus video, vos excipere, in hac nostra causa aequitatis quosdam velut gradus et genera inter se concurrendo, adeo, ut unum quidem aequum, alterum aequius videatur. Aequitatem blandientem modo agnoscitis, si hac ratione auxilium praestamus fideiussoribus. Duram enim, dicitis, tali juris remedio euadere creditorum conditionem; utpote quibus sic sub aequitatis blandientis specie admittitur ius conueniendi fideiussores, quos illi tamen in crediti securitatem receperunt, ac qui int̄ per in literis respirationis nominati non sunt. Hac obiectione aduersari non

F 3

mi.



minus reficiuntur, quam post negatos diu imbræ irriguo  
humore recreatur tellus, aut post brumæ inclemantium  
verno aere mortalium genus. Quid nos ad haec respon-  
deamus? An Harpocratem agamus? Hoc dissidentiam  
arguit. Loquamurne? Id sane est non degeneris animi.  
Loquor igitur, et ingenue fateor, me non videre durius, et  
quam somniant secus sentientes. Falsum enim est, hac  
nolstra exceptione tolli creditorum ius conueniendi fide-  
iussores. Probe exploratis, quae debitorem, eiusque rem  
familiarem vrgent, dispendit, princeps nil nisi moram  
indulget talibus literis. Concessio earum iuribus quae-  
sistis creditorum nil derogat. Legibus enim moribusque  
inualuit n), vt, cautione praefanda, debitor creditores  
securos reddat, solutum iri tam fortem, quam usuras le-  
gitimas dilationis tempore currentes o). Salua manet  
debiti qualitas, quae fuit, antequam egenus debitor im-  
petrabat literas respirationis. Suspenditur tantummodo  
ius creditorum, conueniendi fideiussores. Suas vires ex-  
erit euentu sat felici, si finita quinquennali dilatione pre-  
sto adsunt creditores; si calculum debitori offerunt, quo  
non

a) L. 4. C. de prec. imp. offer.  
Caeterum de qualitate huius  
cautionis enoluas 1. v l r. L. B.  
de CRAMER Syt. Proc. Imp.  
T. V. §. 2207.

b) Haec doctrina displicebit iis,  
quibus in mentem venit, quod  
G A B R. S C H W E D E R V S Intr.  
in I. P. part. sp. sect. I. cap. 17.  
§. 9. opinionem, qua cursus  
usurarum per inducias fistitur,  
defensurus fateatur, se cum  
communi doctorum schola

hoc adfirmare. Sed auctoritate sola non dimouemur ab  
instituto. Immo vero si auctoritatem desideres, hac nec no-  
stra sententia deslituitur. Tri-  
umuiros mecum sententien-  
tes, nominabo, puta, N I C.  
C H A Z L Y N C K E R, Ref CCL.  
in fin., I. H. a B E R G E R Occ.  
Iur. lib. III. tit. 8. §. 12 n.  
z., A V G. a L E Y S E R sp. XII.  
cor. I.

non solum fortis, sed etiam usurarum, quae inde a tempore dilationis induluae debentur, quantitas comprehenditur; si huius solutionem vrgent et quidem, ut in proverbio dicitur p),

*prius atque gallus cantat iterum cristi ger;*

si e contra debitor, se satagisse, iurat, ut vario quaestiu humano bonorum iacturam repararet, doletque lacrimis sponte cadentibus, se fortunae nouercantis iniuria impeditum non potuisse acquirere opes idoneas ad nomina delenda. Rationibus hisce paulo penitulatius ponderatis non multum, an neges, dispendii redundare in creditorem, si is, nondum finita dilatione, quinquennali non nunquam prolixiori, nec sortem nec usuraras exigere potest? Longe vero maius, an in dubium voces, damnum benevolentiae sua sentit fideiussor gratis intercedens, si, virtutem moratorii intuitu ipsius personae expirasse, iudicet acerbus iudex, eumque damnet, vt, intra dilatationis spatium, solutionem fortis ac usurarum praefet? Ita vero, quum in nostra specie creditor, ob denegatam, intra iudiciarum tempus, fortis exactionem laetus concurrat cum fideiussore magis laeso, puta, si isti talis exactio haud denegaretur; quumque sic vterque certent de vindicando damno, is quidem de minori, hic autem de maiori: adserere, nulli dubitamus, multo aequius esse, si adversariorum tela retorqueamus; si huic magis, ac illi, consulamus; si proin scitis juris naturalis suffragantibus exceptioni literarum respirationis addamus qualitatem exceptionum in eis scriptarum.

## XII

p) ERASMVS Ch. 3. cent. 7. add. 66.

## XII

*Ad aliud aduersariorum argumentum respondetur.*

Mus, pusillum animal et sapiens, PLAVTO obser-  
uante q), non vni antro fudit, et aetatem

- vni cubili nunquam committit suam:

quia, si vnum ostium obsideatur, aliud perfugi-  
um erit.

Idem etiam de nostris aduersariis adfirmare, placet. An  
reste? Tu iudica ex hisce momentis. Non vni, sed plu-  
ribus rationibus fidunt, ac, si periculum imminet, perire  
argumentum mihi contrarium, ancipiti cogitatione di-  
stracti salutem sua sententiae quaerunt in multis alii hy-  
pothesibus, quae tamen, vt ut leuiter inspectae magna  
specie se commendant, nobis non arrident. Ita, difficile  
dictu non esse, dicunt aduersarii, priuilegia, dum ius sin-  
gulare constituant, aequalitatem inter subditos tollere, ac  
non raro ansam dare, vt odia occulta ciuium, quae nunc  
tacitis discordiis continentur, in illius fortunas erum-  
pant, cui ob meritum princeps dedit priuilegium. Hinc  
vero, priuilegia personis data ita accipienda esse, volunt,  
vt, et vel quantum fieri potest, nimium de iure commu-  
ni derogent, et vt non alius priuilegii particeps sit, ac is,  
cuius mentionem facit scriptura priuilegium continens.  
Quae regula generalis, e secus sentientium opinione, eo  
vsque valet, vt et vel debitoris fideiussor fraudandus sit  
vsu priuilegii personalis, quod conspicimus in eiusce ge-  
neris literis. At ingenuo fateor, nec haec obiectio de-  
primit animum. Nam non in omnibus valet regula,  
quam verbis generalioribus conceptam aduersarii nobis  
obiiciunt. Suos limites admittit. Oratione haud tangam,

pri-

q) PLAVT VS Turcul. act. IV. sc. et ERASMV M l. c. cb. 5. Cent.

4. Jungas, si placet, IOH. FR. I. ad 4.

TAVBMANNI Not. voc. ius,

priuilegia personis data quandoque e legum dispositione etiam aliis tribui per illum, cui ab initio conceduntur <sup>r)</sup>, immo non raro ob singularem personae conditionem fructus talis priuilegii redundare in alios. Satis est, dixisse, ob consecutionem necessariam in tertios transire priuilegia personalia e tacita voluntate principis, qui eiusce generis priuilegium indulget. Nam in moralibus, scimus, finem esse pro mensura, ac eum, qui vult antecedens, velle etiam consequens, seu, ut HVG. GROTIUS verbis utar s), illum, qui aliquid concedit, concedere, quae sequuntur necessario. Quoties igitur personis indulsum priuilegium, iuxta iuris communis placita acceptum, euadit inutile, si illius vim ac potestatem non transferas ad alios; tories verba priuilegii, contra iuris communis functionem, summo iure protrahuntur ad alios, tanquam personas tacite in priuilegio personali comprehensas. Hanc regulam, ab optimis antecessoribus adoptatam non miaus, ac rei iudicatae auctoritate munitam t), in nostra eriam specie admitti posse, opinor, subiicioque rationem, cur ita statuam. Non eo sis consilio, velim, ut putes, me pro literarum respirationis extensione latiori defendere vrgere regulam, quae haec est, ubi eadem comprehenditur legis ratio, ibi eadem est legis dispositio. Me enim haud fugit, dictam regulam duntaxat procedere in iuris communis placitis, non vero in illis capitibus,

G

quae

r) Si exempla noscere vis, enolias IOH. NIC. HERTII Diff. de Transitione Priuileg. Perf. ad alios. Secundum locum habet in ILLIVS Opusc. Vol. I. tom. III.

s) H. GROTIUS de Iure Belli et Pac. lib. III. cap. 21. §. 17.

t) IAC. BRUNNEMANNVS ad L. fin. C. de usur. rei ind. n. 7. DAV. MEVIVS part. IV. dec. 151. et part. VIII. dec. 298. HERM. VULTEIVS Conf. Marb. tom. IV conf. 35., MOD. PISTOR Conf. XI. n. 12.

quae exceptionem a iure communi constituant. At id adducere, e re mea erit. Sciunt omnes, id, quod valet de genere, valere etiam de specie. Literas autem respirationis esse speciem privilegiorum personalium, dubio caret. Iis enim, contra iuris communis sanctionem, principem has vires tribuere, nec ipsi aduersarii abnegant, ut patrocinium praestent debitori, adeo, ut huic, durante induciarum tempore, nil metuendum sit a creditoribus. Constituant exceptionem a legibus, quae volunt iubentque, ut, tametsi debitor ringatur, tamen ad beneplacitum creditoris, solutioni acriter insistentis, fors accepta restituatur. Hanc maxime optatam et expeditam securitatem non habet debitor, ac vis sit iuri singulari, talibus literis constituto, si is duntaxat tutus esset a creditorum actionibus, ac solus ad moratorii auctoritatem prouocare posset salvo caeteroquin iure conuenienti fideiussores, intra dilationis tempus. Quid sodes, mi aduersarii fieri putas, si unus alterue creditorum, induciarum tempore nondum circumacto, summo et stricto iure communi confisus actione quadam conueniret fideiussorem; si, iuxta fecus sententium doctrinam, exactio nominum delendorum non sisteretur; si benigno fideiussori, ad preces creditoris aut nummos, aut partam executionem amare exigentis, iudex illicet iniungeret praestationem nominum istorum, quae, durante moratorii auctoritate, ab egeno debitore exigi nequeunt? Sortis solutae, jurare auferim, ius actionemque fideiussori dubio procul quaeret: iniuriam sibi tali sententia illata verbis vehementioribus prosequetur: ager ipse ac molietur, ut, virtute literarum respirationis non obstante, recuperet sortem creditam. Ita autem, num abnegare potestis, ita pessum ir egenus debitor? Bona ipsius piane succumbunt. Non conseruabit, si vestrae doctrinae

20 \* 20

5

iae inhaerendum est, fructus literarum respirationis,  
quos tamen sartos esse et teatos a creditorum moliminiis  
vult princeps. Quocirca iudex iniustitiae incusari nequit,  
si, quam aequitate suadente in priuilegiis saepius adhiberi  
constat, interpretationem latiorem et in hac specie adhi-  
beat. Nil vitiosum erit in sententia, qua iudex, ad di-  
ctam interpretationem configuiens, dicit, ius creditorum fi-  
deiuissorem conueniendi ea temporis periodo, qua durat  
moratorii auctoritas, quiescere, quoniam ipse debitor  
contra principis voluntatem excideret fructibus litera-  
rum respirationis, si, posthabita tali extensiōne, eiusce  
generis literae fideiuissori non essent proficuae. Ta-  
lē sententiam vestra obiectione eo minus impugnare  
poteritis, quo certius e prudentum iudicio est v), et vel  
ipsis legibus suffragantibus inueniri casus, in quibus, ri-  
gore iuris communis non obstante, debitoris exceptio-  
nes personales fideiuissori illius prosunt. Conspiciuntur,  
quando fideiuissor ad exemplum emtoris, cui de re vendi-  
ta lis mouebatur, litem denuntiat. Venit tunc debitor  
principalis in iudicium, coram quo fideiuissor conuenie-  
batur. Opponit is exceptionem sibi a legibus datam aut  
tanquam procurator, puta, si ad suum interesse defen-  
dendum vices fideiuissoris sustinet, aut si etiam iudicium  
in se transferri petit. Tali autem defensione accidere,  
an inficiari poteritis, vt contra iuris communis regulam  
exceptio personalis debitoris fideiuissori proficia sit? Haec  
ob eam cauſam maxime scribo, vt meditere, annon si-  
mile quid inueniatur in causa, cuius patrocinium suscep-  
pi. Si autem inter has species similitudo maxima interce-  
dit;

G 2

12) JAC. BRVNNEMANNVS ad  
L. 10. §. II C. mand., GEORG.  
FRANTZKIVS Refol. lib. III.

ref. IX., BAV. MEVIVS part.  
II. dec. 289. n. 7. part. IV. dec.  
150. n. 7 et 8.

dit: sequitur, quod et vel ob hanc rationem vestra ob-  
iectio eneruis sit, ac, si poetae verbis vti licet,

— *inaurata pallidior statua.*

### XIII

*Vtterior responso ad aduersariorum obiectiones  
adseritur.*

Nondum tamen ab erroris suspicione aduersarii me purgatum habebunt, ni elidam et hanc obiectionem. Vrgent iuris tam naturalis, quam ciuilis, sanctiōnem, qua ob aces alienum non omnia bona auferuntur personis, de quibus, vel ob dignitatem, vel ob sanguinis, amicitiaeque interioris vinculum durum esse, constat, si, quoniam diētis personis vulgaria victum quaerendi remedia non conueniunt, si, inquam, per rigidam creditorum exactionem facultatisbus vsque adeo priuarentur, vt stipenda ditionibus quaerere, panem flagitare, ac fame contabescere necessum habeant. Tanto aequius esse, clamitant, vt illorum fideiussores ab hoc iure, quod singularem erga certas personas respicit fauorem, quanto minus dici potest, fideiussoris res aeque detritas esse, ac debitorum, quibus datur hoc beneficium competentiae. Constat, addunt, principem, aequitate manuducente, rigori iuris creditorum literis respirationis tunc demum intercedere, si probe explorata sunt dispendia, quae vrgent debitorem, non vero fideiussoris rem familiarem. Quocirca ita concludunt, sicuti fideiussoribus non competit personale beneficium competentiae <sup>x)</sup>, quod modo ob funerari egestatem certis personis competit: ita etiam et debitoris fideiussores excluduntur ab exceptione literarum

x) L. 24. D. de re iud.

rum respirationis tanquam beneficio personali, ob egestatem debitori indulto. Haec obiectio contrariae sententiae pondus non addit. Objectionem namque, a iure competentiae defumtam, dum animis attentis obuerunt, fugit eos, moris esse, ut dictis personis, earumque vxoribus ac liberis y) alimenta necessaria duplice ratione relinquuntur. Aut enim in memoratarum personarum bona, fortunas, possessionesmittuntur creditores, atque intuitu alimento rum annuorum debitori praefandorum sunt debitores, horumque causa non modo securitatem praestant, sed etiam bona accepta pignori subiicere tenentur. Aut talis debitor, quoad viuit, non decedit quidem de possessione bonorum, obligat caeteroquin bona, e quorum redditibus alimenta necessaria accipit, pignori, ac cautionem praestat de nominibus ilicet soluendis, si meliorem fortunam nanciscatur z). Siue ponderes illam, siue hanc, rationem necessaria alimenta dandi dictis personis; utramque docere, adfirmabis, adesse debitorem, cui, dum non habeat, unde creditoribus soluat, quod ipsi per syngiam crediderunt, necessaria alimenta relinquuntur a). Dum ergo inter omnes conuenit, bonis lapsum esse debitorem istum, qui beneficio competentiae refici cupitur nihil magis naturale est, quam ut fideiussor ab ipso constitutus deletar nomina, pro quibus interpoluerat fidem. Fideiussorem enim accipi, norunt omnes, ut, debitore

G 3 facul-

y) Et harum personarum in beneficio competentiae rationem habendam esse docent L VRETE B. de CRAMER Obs. tom III. obs. 897 DAVSTRV BENIVS Rechl. Bedenken Part I arg. 6.

z) Vide IOH. AVG. HELLPEL-

811 Opusc. pag. 581.

a) Conferas, si placet, MATH. COELRT Proc. Execut. cap. 3. n. 124 seqq. DAVMEVII Disc. leuam. inop. debit. cap. 4. n. 39 sq. BALTHAS WERNHER Part. 7. Obs. 85.

facultatibus lapsi, ipse teneatur. Aut fallor, aut non in eo, quod hoc beneficium sit sua natura personale, quam potius in hac summa, omnibusque pernota, egestate debitoris, implorantis beneficium competentiae, latet ratio, cur iura fideiussorem ab vsu huius beneficii exclusum volunt. Num, dicere quaeſo, num aequa grauis rei familiaris inopia nostrum debitorem, qui a principis gratia moratorium opem expectat, premit, quae vexat debitorem implorantem beneficium competentiae? Abnegat id adſlictus debitor noster. Abnegant ipsius creditores, ad quorum nutum princeps literas respirationis concedit. Abnegat tandem fideiussor, adſfirmatque, intra tempus induciarum dici non posse, quod debitor noster bonis lapsus fuerit. Quum ergo in hac nostra specie non tanta rerum omnium penuria conspicatur, quam deprehendimus in priori specie, et ob quam euidentem egestatem fideiussore iure repellitur beneficio competentiae, ipsius debitori a legibus concessio: sequitur, id, quod concludere secus sentientes voluerant, non effici ex denegato debitoris fideiussori beneficio competentiae, nec esse consequens, si dicitur, fideiussor non admittitur ad beneficium competentiae, ergo nec etiam proficia esse debet exceptio literarum respirationis fideiussori debitoris.

## XIV

*Species tandem subiectuntur, in quibus fideiussori exceptio literarum respirationis proficia non est.*

Nouem musas, praesidemque Mineruam, iratas pertimescerem, ni et sub finem cauſae peroratae mentionem

b) Quo talis debitoris egestas creditoribus statim cognita fit, requiritur, ut edat bonorum specificationem. Vide HENR. BROCKESII *Obſ. For.* n. 126.

nem iniicerem quarumdam specierum, quibus exceptio literarum respirationis debitoris fideiussori proficia non est. Putarem vero, hunc vsu nostrae exceptionis excidere, si beneficio exceptionis ordinis renunciauerit. Quum integrum cuius sit his, quae legis sanctione indulta sunt, renunciare c): dubio caret, quin fideiussor se ita obstringere possit, quod prius nomina delere velit, quam durante tempore dilationis constet, anno et ipse debitor solvere possit. Opus autem meo quidem iudicio est, ut talis renunciatio verbis specialioribus concipiatur. Nam verba generalia comprehendunt incertitudinem, adeoque aut parum aut nihil operantur. Quid autem dicendum erit, si instrumento adiecerit clausulam, *icb verschreibe mich als selbst Schuldner?* Num et tunc exceptio literarum respirationis proficia erit debitoris fideiussori? Distinctione opus esse, opinor. Aut enim scribebat talem clausulam animo nouandi, aut sine tali animo. Si illud factum fuerit: fideiussor, a creditoribus actione conuentus, fructus frustra exceptat, auxiliumque ab exceptione literarum respirationis. Nam in hac specie, ob nouandi animum, fideiussor desuisse eo magis credi debet, quo certius est, contractus e conuentione accipere legem d). At si talis animus deficit: talis clausula neutiquam naturae contractus derogat. Nam contractuum conditio et origo est spectanda, et constat, quod quiuis fideiussor gaudeat beneficio excussionis, et hinc non simplex verborum conceptus, sed vis contractus est inspicienda.

Iam stamina harum exceptionum deducere longius meditanti, ecce Atropos adegit, fatale numen, quod fila nobis inuitis rumpit. Possunt, qui has exceptiones legerint, similis

c) L. 46. D. L. 29. C. de pacificis.

d) L. 1. §. 6. D. de poef.

miles addere. Haberemus nos earum adhuc instructam  
penum, et longe plura, quae proponi in hoc specimine  
inaugurali potuissent, in aduersariis nostris,

*Verum animo satis haec vestigia parua su-  
gaci*

*Sint, per quae possis cognoscere caetera  
tute.*

LVCETIUS.

*Errata.*

Pag. 3. lin. 10. loco quae ponas quam. Pag. 38. lin. 7. legas inter-  
vertamus pro inuertamus. Pag. 33. not. x) pro L. 7. po-  
nas L. 3. §. I.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-310528-p0064-1

Helmskdt, Diss., 1778-85

ULB Halle  
005 356 695

3







1779,2  
1457  
5

DISSE<sup>TATIONEM</sup> IN AVG<sup>RALEM</sup>  
EXCEPTIONE  
LITERARVM RESPIRATIONIS  
ET VEL DEBITORIS FIDEIVSSORIBVS  
PROFICVA

---

ILLVSTRIS IVRE CONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRAESIDIO

D. ALBERTI PHILIPPI FRICKII

SEREN. ET CELSIS. BRVNOVIC. AC LVNEB. DVCI  
A CONSILIIS AVLAE  
IVRECONS. ET ANTECESSORIS  
PRO  
CAPESSENDIS IN VTRQVE IVRE SVMMIS  
HONORIBVS

AD D. XVI DECEMBR. MDCCLXXIX.  
MORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS  
PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI  
SUBMITTIT  
AVCTOR

CAROLVS GEORGIVS REINHARD

IVDICIORVM HELMSTADIENSIVM  
ADVOCATVS.

---

HELMSTADII

TYPIS VIDVAE B. P. D. SCHNORRII ACAB. TYPOGR.